Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Tarnow

Johannis Tarnovii S.S. Th. D. & in Academia Rostochiensi Professoris, In Prophetam Habacuc Commentarius: In quo textus Analysi perspicuâ illustratur, ex fonte Hebraeo explicatur, locis S.S. parallelis confirmatur, à pravis expositionibus vindicatur. Usus verò in Locis communibus ex ipsa scripturâ natis & probatis indicatur. Adiectus est in fine index verborum & rerum memorabilium

Rostochi[i]: Ferberus, 1624

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746454848

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

G K C

1 6 3 0

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746454848/phys_0001
DFG

Cpl t Sch.

~~VIII. 1142.~~

Theol. 231.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn746454848/phys_0002
DFG

54/68
No 16
Haenich

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746454848/phys_0003
DFG

D. T. O. M. A.

JOHANNIS TARNOVII SS. Th. D.
& in Academiâ Roſtochienſi Profeſſoris,
IN PROPHETAM

HABACUC

COMMENTARIUS:

In quo textus

Analyſi perſpicuâ illuſtratur,
ex fonte Hebræo explicatur,
locis S. S. parallelis confirmatur,
à pravis expoſitionibus vindicatur.

Uſus verò in Locis communibus ex ipſa ſcripturâ natis & probatis indicatur.

Adjectus eſt in fine index verborum & rerum memorabilium.

Cantic. 2. verſ. 6.

שְׂמֹאלוֹ תַּחַת לְרֹאשִׁי וִימִינוֹ תְּחַבְּקֵנִי׃

ROSTOCHI
Sumptibus & typis Auguſtini Ferberi
exſcriptus.

ANNO M. DC. XXIV.

IN HABACUC
PROLEGOMENA.

Me miserum, Deus alme, tuis amplectitor ulnis,
Amplexatoris fac bona verba sciam.

ὁλεγόμεν. 7. HAbacuc *ex recensione Hebræorum octavum inter prophetas minores tenet locum: quem cùm, Deo meis conatibus benedicente, publicè interpretari aggredior, more meo breviter hæc septem videbo*: Quis, quid, quando, quibus, quâ occasione, quo fine, & quotuplicia *prophetaverit.*

1. Quis, Habacuc. *Et 1. quidẽ*, quis ipse sit, *duobus verbis saltem scriptura indicat, quibus nomen ejus proprium, vitæq; conditionem exponit, quando eum* Habacuc prophetam *nominat. Illud ex ex vulgata pronunciandi & scribendi ratione patrum latinorum hic referimus, ne quid sine causâ innovare videamur, licet sciamus, paulò aliter id sonare in textu hebræo, nempe* חֲבַקּוּק *Chabakkuk, quod à Rad.* חָבַק *i. e. amplexatus est, literâ ultimâ ad ἔμφασιν geminatâ, descendens, optimum amplexatorẽ notat, & certè omen habet nomen. Nam, ut scribit Lutherus, populum suum afflictũ in hoc vaticinio amplexatur, amat & in ulnas reclinat, solatur & sustentat, quẽ admodũ tristè plorans puerulus ãplexu à matre suscipitur, ut sileat.*

ominis ἔτυμον & omen.

Propheta. *Vitæ conditio nomine prophetæ indicatur, de quo sæpè jã in superioribus dictum est. vide Joel. 2, 28. Amos. 2, 11. 12. & 3, 7. 8. & 7, 14. Mich. 3, 5. 6. 11. Hieronym. in prologo in hunc prophetam aliter interpretatur nomen hebræum prophetæ proprium,*

Hieron. ἔτυμολογία.

prium, videlicet & passivè, quod sit amabilis Domini, ὡ qui à Deo ametur; & activè, quod Deum propheta amplectatur, ut cum eo luctetur, quando de prosperitate impiorum disputat, quomodo à Rad אבק i. e. pulvis, derivare videtur, unde verbum in Niphal, quod luctari & in arenam descendere denotat Gen. 32, 24. 25. quò si alludit, tolerari potest ob cognationem vocabulorum: si autem inde quis derivat, minus rectè procedit, ut facilè apparet, si quis rectius hæc considerat, & similes voces non confundit. Illi verò longè gravius hic errant, qui ex historiâ valdè dubiâ, quæ in Apocryphis Dan. c. 14. narratur, asserunt, hunc esse illum Habacuc, qui Danieli in fossâ leonum detento cibum attulerit, id quod præter alia multa, temporis ratio satis apertè refutat. Daniel enim tum sine dubio in captivitate Babylonicâ fuit; hic noster Habacuc ante eam, ut infrà dicetur.

1. 2. non est ab אבק.

Non attulit Danieli cibum.

Canonicus autem seu authenticus hic liber est, non tantùm, quia in biblijs hebræis extat, sed etiam, quia in N. T. à Paulo ter allegatur. Act. 13, 41. capitis primi versus quintus. Rom. 1, 17. Gal. 3, 11. capitis secundi versus quartus: idemq; repetitur Hebr. 10, 38. unde constat, quod hic propheta Habacuc sit omninò inter eos numerandus, qui à Spiritu S. impulsi locuti sunt, 2. Pet. 1, 21. per quos ipse Deus est locutus Heb. 1, 1. & qui à Christo audiendi proponuntur Luc. 16, 19.

Hic liber est Canonicus.

II. Quid tractet Habacuc, ex hoc argumento licebit cognoscere. Declarat a. I. decretum esse à Deo, ut Judæi ob vitam suam sceleratissimã in potestatem Chaldæorum deveniãt. II. quia & hi valdè impij erant, docet, & ipsos, Ecclesiam opprimentes, daturos pœnas, ac in suis peccatis tandem ruituros: piorum verò reliquias in fide victuras. III. deniq; elegantem precandi formulam tanquam perpetuam piorum consolationem subjungit. Quomodo præterea, quæ reliqui prophetæ cũ

2. Quid seu summa.

Communia cum aliis, ipso habent communia, ut Dei minas sceleratis, promissiones piis proponant, cùm aliàs de liberatione ex calamitatibus,

peculiaria. tum inprimis illam de venturo Meßia, & liberatione ex inferni carcere. Actor. 10, 43. hæc duo habet peculiaria, querelam quandam vehementißimam, quod Ecclesia ab injustiore populo tam graviter jussu Dei affligatur, & orationem quandam valdè patheticam, quâ se auxilij divini spe erigit.

3. Quando. III. Quando vixerit, expressè non dicit scriptura, nec in

1 Sententia. Chronicis Eusebij vel Hieronymi, ut Augustinus testis est lib. 18. C. D. c. 31 invenitur. Plerique hebræorum existimant, quod sub Manasse prophetaverit, quia ejus tempora & mores optimè prophetæ nostri querelis respondent, & ex vaticinio hoc satis constat, præcipuè ex cap. 1, v. 6 quod ante captam à Nebucadnetzare Jerosolymam docendi functus sit munere, cùm jam omnes pij viderent, gravissimas instare calamitates ob populi peccata. vide 2. Reg. 21, v. 2. 9. 12. 13. 14. Chron. 33. 9 10. 11. vide סדר עולם זוטא (mihi) pag. 139. Probabilius tamen esse videtur,

2. quia rebus & sententijs cum Jeremia convenit Habacuc, & captivitatem Babylonicam instare dicit, in quam Jeremias incidit, quod vel tempore ejus sub regno Josiæ vixerit,

3. vel non longè eum antecesserit. Confer 2. Reg. 21, 10. & 23, 26. 27. & 24, 2. Jer. 1, 21. 3. 15. & c 37. & 39. ac videbis, errare Hieronymum in prologo, qui post captivitatem eum vixisse asserit, quod pugnat apertè cum v. 6. 7. c. 1.

4 Quibus. IV. Licet non exprimatur, quibus prophetaverit: ex his tamen, quæ jam dicta sunt, totaq; prophetiâ, facilè apparet, quod apud Judæos concionatus sit, & quidem contra Babylonem, Chaldæorumq; regem Nebucadnetzarē, qui regnum Judæ, Jerosolymam, & templū vastavit ac evertit, quemadmodum præcedens propheta Nahum contra Nineven & Assyrios prophetavit, qui regnum Israëlis subverterunt, & decem tribus in

bus in captivitatem abduxerunt. Judæis igitur pressuram, obsidionem, captivitatemq; à Chaldæis c. 1. & his eadem à Medis & Persis inferenda minatur c. 2. Pertinet autem ad omnes, qui illis in moribus sunt similes. Cor. 9, 10. & 10, 11.

V. Occasio fuit hæc. Ante captivitatem Babylonicam corruptissimus Reipubl. status erat in regno Judæ, miseraq; non modò & periculosa piorum conditio, sed & plena offendiculi, inter quos multi mirabantur Dei patientiam, quod tanta ferret scelera: alij eandem accusabant, quod juxta promissiones datas suos non liberaret, ac parùm aberat, quin multi fidei facerent naufragium. Hic datus est Habacuc, qui communem piorum causam suscipiens effrenem scelerum licentiam magnâ cum libertate arguit, pœnasq; mox secuturas prædicit. pios deniq; solatur Dei justitiâ, clementiâ, veritate, qui etiam, cum populum suum aliquandiu calamitatibus afflixerit, eum per Christum sit restituturus. 5. Qua occasione

VI. Vaticinatur igitur Habacuc propter auditorum duo genera duplici fine potissimũ, impijs à Deo decretam pœnam inculcat, ut pœnitentiã agant: pijs eandem proponit, ut scandalo medeatur publico, eosq; ad patientiã & fidei constantiam instruat, ne se à Deo prorsus derelictos conquerãtur, sed potius secum Deum orent, ut in his communibus serventur miserijs. 6. Quo fine.

VII. Deniq; divisio generalis est hæc. Prophetiæ hujus, præter inscriptionem solennem, duæ sunt partes præcipuæ: prior, prophetæ duplex expostulatio, altera contra impios Judæos, altera contra crudeles & malos Chaldæos, per quos illi erant affligendi, directa c. 1. & 2 posterior, ejusdem valdè pathetica oratio, pro pio unoquoq; facta, & in istis similibusq; miserijs ad DEUM fundenda, ut eas sinat esse paternam castigationem, non omnimodam populi deletionem, cap. 3. quarum partium uberiorem explicatio- 7. Partes Prophetiæ, 1. 2.

nem & cohærentiam accuratiorem in sequentibus cum Deo visuri, sine longioribus ambagibus nunc accedimus ad rem ipsam.

CAPUT PRIMUM.

ARGUMENTUM.

Summa.

PRopheta cum Deo de improbitate, violentia & injustitia Judæorum expostulans, hoc responsum fert, Chaldæos illis iri immissum; quorum ferocitatem, insolentiamq; cum descripsisset Deo pluribus, propheta indignũ ratus, ut per illos, ipsis longè sceleratiores, affligantur Judæi, à natura Dei & justitia, ac Nebucadnetzaris crudelitate & idololatria argumenta suæ expostulationis desumens, plagam populi sui exaggerat, viceq; ejo graviter dolet, & pro eo apud Deũ intercedit.

Analysis Partes 2. 1. Inscriptio, 2. Concionis descriptio: hujus membra 1.

Partes hujus capitis principales possunt constitui duæ: Earum altera est inscriptio, quâ Objectum & autor tam primarius, quàm secundarius hujus vaticinij indicatur v. 1. altera prioris concionis descriptio v. 2. &c. Illius membra in hoc capite habentur tria: (nam quartum & ultimum toto capite secundo exponitur) Primum est querimonia prophetæ de perditâ Judæorum vita, cujus exordium ex abrupto incipiens argumentum ejus exponit, v. 2. quam cùm erga proximum, tum etiam verbi divini præcones exercent v. 3. 4.

2. *secundum est Dei responsio, quæ docet, per mirificam ejus fieri providentiam, ut una violentia Judæorum alterâ Chaldæorum retundatur, quod summatim proponitur v. 5. speciatim autem exponitur, tum in totius gentis crudelitate, rapiendi dominandiq; intolerabili libidine tam simpliciter v. 6. 7. quàm comparatè v. 8. & avaritiâ v. 9. tum in regis ipsorum*

3. *inhumanâ & impiâ arrogantiâ v. 10. 11. Tertium est novæ prophetæ querimonia ex superioris responsi divini argumento nata,*

to nata, cujus partes duæ, prior pathetica causarum desumptarum à natura Dei, ad consequendam apud eum misericordiam exaggeratio. Recensentur autem tres: prima fœderis divini cum suo populo initi constans promissio v. 12. secunda, odij contra malos & flagitia magnitudo v. 13. tertia, providentiæ & gubernationis circa homines versantis certitudo v. 14. posterior, indignissimorum malorum, quæ Chaldæus erat perpetraturus, enarratio. sunt autem hæc: crudelitas in omnes homines æqua v. 15. & blasphemia ac contumelia in Deum superba v. 16. unde de ejus secuturo excidio certissimum argumentum desumitur v. 17.

Populariter alij hoc caput dividunt in partes quatuor, quarum I. inscriptio, quæ argumentum & autorem nominet. II. querela tristis piorum in persona prophetæ de venturis malis propter plerorũq; scelera, quæ eâ occasione accusantur. III. à Deo facta explanatio captivitatis, quæ pœnæ loco istis erat inferenda per Chaldæos. IV. Justitiæ Dei & horum injustitiæ declaratio, unde exitium etiam hos manere concluditur, & pro populo Dei interceditur, ac ad sequens caput, ubi hæc uberiùs explicantur, fit transitus. Popularis distributio.

PARS PRIOR.

Vers. 1.] Inscriptio sive titulus hujus prophetiæ, ut & plurium aliarum, est Synecdochicus, & ad impios potissimùm spectat, propter ingratum de captivitate & exscidio tam regni Judæ, quàm Chaldæorum monarchiæ nuncium, quando hebraicè dicitur מַשָּׂא, de cujus vocis etymologia & emphasi vide plura suprà Nahum. 1, 1. quibus adde, quod hæc vox propriè onus, lationem, portationem, impropriè verò & metaphoricè prophetiam significet, non quidem omnem, sed eam, quæ legales conciones de peccatis & pœnis continet, & quidem tum præcipuè, quando in titulis librorum vel concionum ponitur. Titulus Synecdochicus.

מַשָּׂא quid notet propriè, in propriè.

ponitur. Alijs n. in locis cùm reperitur, etjam clementiæ doctrinam denotare potest, ut Prov. 30, 1. & 31, 1. idq; non obnuente ejus ἐτύμῳ seu R. נָשָׂא, quæ in genere, tulit, protulit, &c. significat. Jam quemadmodum latini ferre sententiam, proferre sermonem, &c. dicunt: sic hebræi ferre seu tollere visionem aut prophetiam, pro edere, denunciare id, quod à Deo acceptum est, quò respicientes græci sæpè verterunt λῆμμα, quatenus est sermo à Deo acceptus. Ad majorem autem evidentiam non incommodè vertitur, Onerosa prophetia, & à Luthero nostro, Diß ist die Last / quomodo argumentum sequentium concionum principale breviter indicatur. Est verò illa prophetia tristis & lamentabilis, quam vidit, Deo nempe supernaturaliter revelante, (de quo vide, quæ pluribus dicta sunt Joel. 2, 28. Obad. v. 1.) Habacuc propheta, amplexator ille, qui, dum improbis hominibus captivitatem & tristia denunciat, pijs liberationem & læta prædicat, ut ita idem illud Dei verbum, quod est malis sua culpa odor mortis ad mortem, sit bonis odor vitæ ad vitam 2. Corinth. 2, 15. 16. &, quæ verba nondum conversis sunt molesta & onerosa, ijs, qui ad Christum verâ fide se recipiunt, sint jugum suave & onus leve Matth. 11, 28. 30. 1 Joh. 5, 3.

ejus ἐτύμον.

Λῆμμα.

LOCI COMMUNES.

Ex vers. 1.]

I. Onerosa prophetia.] *Verbi divini ministri non tantùm Evangelium proponant conscientijs pavidis & consternatis, sed etiam legem diligenter inculcent securis & hypocritis Luc. 4, 18. Matth. 11, 5. 1. Tim. 1, 9. & hujus minas ac pœnas severè denuncient Tit. 1, 13. etiam in N. T. exemplo Christi Matth. 23. Johannis baptistæ Matth. 3. Luc. 3. Pauli Roman. 2, 8. 9. 1. Cor. 6, 9. 10. 2. Cor. 6, 14. Gal. 5, 19. Eph 5, 5. autoris epistolæ ad Hæbræos c. 6. & 10. Johannis Evangelistæ Apocal. 21. 27. & 22, 15. Errant igitur Antinomi & Libertini ablegantes legem in N. T. in curiam.*

Lex docenda est.

fiam, cum debeat omnis justificatus esse μὴ ἄνομος θεῷ ἀλλ' ἔννομος χριστῷ 1. Cor. 9, 21. vertente Ambrosio, non exlex Deo, sed sublex Christo.

III. Quam vidit] Id semper legati Dei afferant, quod viderunt. Vide in Obadj. v. 1. confer Johan. 3. 11. quod acceperunt 1 Cor. 11, 23. & 15. 3. 1. Joh. 1, 1. 3, si quis verò aliud Evangelium affert præter id, quod allatum est, Anathema sit, Galat. 1, 6. 7. 8. 9. & nos in N. T. nihil dicamus extra id, quod viderunt & dixerunt prophetæ Actor. 26, 22. Fugiendi igitur sunt Enthusiastæ veteres, & illis non absimiles recentes, qui ipsi sibi somnia fingunt. Nihil extra Scripturam.

III. חֲבַקּוּק] Erga perturbatas conscientias, & quæ mole peccatorum gravatas se sentiunt, sit verbi divini præco Amplexator, leniterque cum illis agat, ut nutrix quædam spiritualis in fide tenellos foletur, erigat, sustentet, &c. libr. 1. Cor. 3, 1. 2. Gal. 4, 19. 20. Heb. 6, 12. 13. & 12, 13. 1. Pet. 2, 2. sicut pater filium perditum & inventum amplexatur Luc. 15. vers. 20. Lenitas ministrorum verbi.

PARS POSTERIOR.

Vers. 2.] Loquitur Propheta in sequentibus non in suâ tantùm personâ, sed omnium fidelium, non ex impatientia, aut murmure contra Deum, aut dubitatione de exauditione precum, sed affectu planè singulari, illo scilicet, quo suam spem & desiderium pij in cruce solent declarare, ac liberationem à Deo promissam urgere. Vide Ps. 10, 1. & 13, 1. & 74, 1. & 77, 8. 6. Ex abrupto enim sic orditur: Quousq; Iehova non exaudies, quum præ animi angustia vociferatus fuero, & quousq; non servabis, quum ad te clamavero, violentiam exerceri ab improbis, & vim inferri pijs? Job. 19, 7. quibus verbis, ut dictum est; gemitus suos declarat, causamq; piorum oppressorum communem suscipit, non agit suam, quod patet, quando non de privatis conqueritur injurijs, sed publicis. Ego, inquit, diu multumq; apud te, ô Deus, precibus meis institi pro paucis piorum reliquiis, ut tandem eos à suis popularibus miserè vexatos liberares, sed hactenus differs auxilium, atq; illis adhuc frena laxas (quomodo Lutherus ad sensus evi- Qualis hæc oratio.

dentiam verba in explicatione transponit) surge tandem, exaudi & manum salutarem afflictis porrige, quandoquidē non vulgaria quædam peccata hic passim obtinent, sed multa malignaq; regnant flagitia, quæ communi nomine dicūtur חָמָס, violentia, aperta vis, quâ non tantùm alij alijs sua eripiunt impunè, sed etiam quamvis justitiæ partem in injustitiâ detinent, quemadmodū explicari potest hoc vocabulū ex Gen. 6, 11. Ps. 7, 17. & 55, 11. Rom. 1, 18. 32. & pluribus tale hominum genus depingitur ab Hesiodo lib. 1. ἔργων καὶ ἡμερῶν, in ætate ferreâ: & ab Ovid. 1. Metam. sed quis hæc, quæ in probatis autoribus ad linguarum proprietatem faciunt, curat hodiè, quæ magni fecêre majores nostri? In tantâ itaq; morū licentiâ meritò cū Davide exclamo: ô fortis Deus ultionum Jehova, illuceſce, attollere, ô judex terræ, redde retributionē superbis, quousq; improbi, ô Jehova, quousq; improbi exultabunt, populumq; tuū conterent? Ps. 94, 1. 2. &c. De repetitione verò particulæ in initio versus positæ vide Comment. in Psal. 3, v. 2.

χειροδίκης.

Vers. 3.] Nam tu, ô Deus juste, cur finis populares meos Judæos, me præsente & vidente, qui tam fideliter illos tuam viam docui, à tuis semitis aberrare, in sua impietate ac inhumanitate pergere, & magis magisq; animos inter se accendere in hoc perturbato Reip. statu? Quare facis ut videā & experiar omnimodā iniquitatē inter homines privatos? quādo fraude & dolo alij alios circumveniunt in cōmercijs: cur permittis, ut publicè intuear & semper aspiciā molestiam ac laborem Ps. 10, 14. quem sibi invicem creant contra caritatis dilectionisq; proximo debitæ regulam? ut videre est vel maximè in vexatione illa, quâ malesidei exactores crudeliter sua à pauperibus repetunt. Cur ego cogor è regione mei, quaquaversum converto oculorū aciem, cernere vastitatē & violentiam? quarum illa per expilatores & raptores inducitur,

Status Reipubl. corruptus.

cùm

cùm multi sedibus suis expulsi coguntur solum vertere. Hanc enim omnes exercent propalàm, ut dictum est sup. v. 2. Cum toto verò hoc loco confer cap. Esa. 1. Jer. 2. & 5. Ezech. 26. ubi fermè eadem populi Judaici reprehenduntur vitia. Ex istis a. quæ hactenus sunt enumerata, quando paßim obtinent, oriuntur porrò in statu politico innumeræ lites & rixæ forenses, in statu autẽ Ecclesiastico verbi divini contemtus. Cur enim est, qui litem, & jurgium *qui tam crebrò* efferat, *nisi quod alter alterum opprimat, & deinde judicia vertantur in meras rixas, cùm quisq; suam malitiã prætextu quodã juris excusare per quosdam nequitiæ patronos annititur, quã ad rem egregiam navant operam nonnulli malè feriati advocati & forenses tabulæ, quò respiciens Lutherus noster vertit,* Hadder vnd Zanck hat vberhand/ vnd gehet gewalt vber recht. *& satis benè. Illi verò, qui reddunt, quare est lis, & judicium seu transactio causæ definitivaq; sententia aufertur ac suspenditur, textui hebræo aliquam faciunt injuriam, in quo est* יִשָּׂא *activum, non* נִשָּׂא *aut* וְנָשֵׂא *paßivum, si strictè illorum verba accipiantur: sententia autem ipsa non est mala.*

Vers. 4.] *Porrò in specie etiam lis movetur, ô Deus, tuis ministris, cum hæc reprehendunt, in magistratu, causarum patronis, & coram judice litigantibus partibus, statim ijs actio injuriarum intenditur, sanctasq; admonitiones ex verbo tuo jam nemo ferè patienter admittit Hos. 4, 4. Amos. 7, 13. Mich. 2, 6. & cùm tu hæc non punias, quum tamen videas, noverisq; omnia, nihilq; horum te lateat quicquam,* idcircò intermittitur *vel cessat* lex, *Luth.* Es gehet gar anders denn recht/ *homines in eâ negligenter se exercent, impatientesq; doctrinæ litẽ cõtra servos tuos efferunt, quocunq; legis civilis cujusdã prætextu, ut Jer. 11. & 12. eorũq; cõcio est*

Contra ministros verbi actio injuriarum.

Jus non administratur.

quasi canticum aures tantùm oblectans Ezech. 33, 32. cùm nemo sequatur salubria ejus monita, neq; procedit *vel administratur* unquam jus *à magistratu, qui vel in impietate facilè tenet primas, ubi ita vivitur Esa. 5, 7. Hos. 10, 13. Mich. 3, 1. Lutherus neutraliter etiam,* es kan keine rechte Sache gewinnen / einen guten fort vnd außgang haben / *quia improbus non tantùm repugnat probo, sed obsessum tenet & circumsidet justum Psal. 12, 9. & 22, 13.* Denn der Gottlose vberfortheilet den Gerechten / *puta fraudibus & perversionibus textuũ juris, quas magno emit,* idcircò prodit jus perversum *in sentẽtijs à magistratu vel à causarum patronis versutis seducto, vel muneribus corrupto, vel pravis affectibus abrepto latis. Psal. 125, 5. Jerem. 6, 28.* En quò nos *verbi divini contemtus tandem abripit, quamvis leges hominum, etiam magnorum, videamur observare, quippe qui litium ac legis civilis, quàm benevolentiæ ac caritatis Christianæ perdidicisse jura ac sequi malumus! Observanda hic*

פוג

est verbi hæbræi פוג ἔμφασις, *quæ est, quod propriè notet, deficere animo, seu animi pati deliquium, quemadmodum usurpari solet hoc verbum de corde, quando ejus motus cessat, nec vena pulsatilis amplius sonat, quod fit, quando periculum est, ne ex corpore emigret anima Gen. 45, 26. Psal.*

Regnum confertur corpori humano.

38, 9. & 77, 3. Notum autem est ex ijs, quæ sæpe antè dicta sunt, Amos. 5, 2. Nahum. 3, 8 L. C. 2. regna, provincias, Resp. urbes comparari in scripturâ humano corpori, quarum anima est lex, & quum hæc deficit, totum corpus politicum minatur ruinam, &, ut exspiret, prope est. Vide & expende diligenter Deut. 33, 12. Esa. 1, 5. 6. & 7, 20. & 8, 8. & 30, 28.

לָנֶצַח

Alij frustra hic in voce לָנֶצַח *quærunt* ἔμφασιν, *non attendentes idiotismum linguæ hebrææ, in quâ illa hoc modo usurpata & verbo immediatè juncta semper adverbij temporis locum*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746454848/phys_0016
DFG

cum tenet, nunquam autem significet ad finem, seu ad victoriam, quasi hic dicatur, judicium non assequitur suum finem & executionem, quæ sententia in toto contextu tamen habetur, & in nostra explicatione includitur. Esa. 25, 8. videtur occurrere contrarium, quomodo Paulus interpretatur 1. Cor. 15, 54. sed ibi verbo non immediatè adhæret, & potest verti in æternum, semper: quia hoc vult Apostolus & Propheta, mortem ita esse victam, ut deinceps nunquam nocere possit pijs, fide Christo adhærentibus. Hebrææ linguæ periti rem ipsam æstimabunt, & differentiam inter has phrases facilè scient, וְלֹא־יֵצֵא לָנֶצַח מִשְׁפָּט *quæ est nostri prophetæ, &* בִּלַּע הַמָּוֶת לָנֶצַח *quæ est Esaiæ. Reliquis autem linguæ imperitis quomodo persuadebo?*

Vers. 5.] *Et hactenus prophetæ de mala Judæorum vitâ institutâ querimonia: videamus porrò, quid Deus ad illam respondeat. Expressè cladem Judæis superventuram prædicit, ne sint securi, neve falsò sibi imaginentur, quia sint Dei populus, templumq; habeant, se extra omnem telijactum futuros. non ita, vos putatis, judicia mea cessare? minimè, videte gentes vicinas,* respicite in gentibus *finitimis, & cum illas devictas captasq; ob sua peccata videtis, idem vobis futurum intelligite Esa. 10, 5, 9. &, ut advertant, idem repetit,* & intuemini *animo attento, curiosisq; oculis perscrutamini, & tum, quum plagas aliorum perspexeritis,* admiratione abrepti admiramini, *in quibus verbis elegans κλίμαξ est, dum oratio semper assurgit ac crescit. Et meritò jubeo vos mirari attonitos:* Nam opus operor diebus vestris, quod non credituri estis, quum narrabitur, *ut sit in textu hebræo* כִּי *pro* אִם *ut Mich. 5, 5. & hic repetitiones magnum dant orationi pondus ad excitandos securos hypocritas, qui verbis & prædictionibus Dei fidem non habe-*

Deus exercet sua judicia.

כִּי *pro* אִם

habebant, quibuſq; etiam propter ea incredibile malũ ſuperventurum nunciat. Hunc locũ D. Paulus ex græca verſione paulò aliter citat Act 13,41. ſed ſenſus eſt idem, quod ut oſtendamus, operæ videtur eſſe precium, ut ita ſua ſcripturæ conſtet autoritas, ac convenientia demonſtretur optimè. In verbis tantùm duo ſunt, quæ diſcrepant. Ubi n. primò habet propheta בַּגּוֹיִם inter gẽtes, apoſtolus adducit pro eo ὑπερηφανοι i.e. ô contemptores, quaſi eſſet in textu hebræo ferè ijſdem literis & lineis, ſi modò apex ſupremus ו aliquantum in latus protrahatur בַּגְרוּ: deinde ubi eſt in hebræo הִתַּמְהוּ i. e. valde admiramini, à Rad. תָּמַהּ miratus eſt, habet apoſtolus, ἀφανίσθητε i. e. evaneſcite, quaſi legendum foret הִתַּמּוּ i.e. deficite, perfectè conſumîmini, ut Num. 14, 35. à Rad. תָּמַם, quæ quod ad literas, vocales & ſyllabas aliquantulum differunt, & ob cognationem horum vocabulorum olim potuerunt legi perperam, ab ijs, qui græcæ illius verſionis V. T. quæ apud gentes tempore apoſtoli erat in uſu, ſunt autores, & ex quâ citat apoſtolus ſæpiſſimè, inprimis, quum dicta ſenſu non differunt, qua de re vide quæ diximus in Amos 5, v. 25. 26. & hic tanquam ſatis eo in loco declarata & probata, præſupponimus. Idem verò hoc loco dicere apoſtolũ, quod dixit Habacuc, facilè conſtabit, ſi primùm ponamus, apoſtolum, illud in gentibus, omiſiſſe, tanquam ſuo inſtituto non multum inſerviens, & ejus loco adhibuiſſe iſtud, quod erat in græca verſione, & omninò apud prophetam ſubintelligitur, atq; adeò verbis hiſce imperativis includitur, ut ex toto contextu & ſcopo dicentis patet. Deinde ſi metalepſin in ſcripturis frequentiſſimã attenderimus, nec in ſecundâ voce diſcrepabit ſenſus. Nam cum apud prophetam bis ponatur, admiramini, admiramini, apoſtolus cum græcis contentus ſententiam, non verba exprimere, evaneſcite, ſubſtituit, quia ex hac admiratione & ſtupore

*onciliatur cum Act. 13, 41.

In verbis, 1.

2.

In rebus 1.

2.

stupore hominum incredulorum certissimum oritur exitium, quum, quo se erigant, in illâ consternatione non habeant Hactenus igitur verborum, quæ apparet, dissonantia non solvit fidei consonantiam: videamus jam de reipsa, & quomodo apostolus suis accommodet auditoribus Judæis Antiochiæ in Pisidia habitantibus, quod olim ad suos populares in regno Judæ protulerat hic noster propheta. Finis & scopus utriusq; est idem, hortari, ut admonitiones Dei, ejusq; verbum libenter suscipiant, quod si non fecerint ostendere, quanta contemtores maneant supplicia, quam certa sit & constantissima justitiæ divinæ regula, quæ punit sui verbi contemtum, nec unquam sivit, nec unquam permissura est, ut, qui id spreverint, & à se repulerint, abeant impunè. Sic igitur argumentatur apostolus per comparationem à minus ad magis hoc modo: si olim in vestris majoribus per Chaldæos Deus ultus est pijs illatas injurias, & suis ministris injustam ignominiam, ut testatur Habacuc, multò majora vobis impendent supplicia, qui verbum gratiæ à me prædicatum contemnendo in ipsum Dei filium pergitis esse injurij, & proinde, ut illi à Chaldæis, sic vos à Romanis vastabimini, & ut illis regnum externum est ereptum, sic vobis impœnitentibus regnũ Dei auferetur, ut Christus ipse prædixit Matt. 21, 43. & 23, 38. De quibus omnibus vide plura apud Junium in Parallelis sacris, unde quædam desumpsisse me libens fateor. Deniq; quod ait apostolus, scriptum esse in prophetis, quod tantum in hoc uno extat, non est quod aliquem turbet, siquidem cum olim unus prophetarũ, & præcipuè minorum, fuerit liber, prophetæ sæpè citantur, cũ unus ex eis intelligitur, eò quod unum omnium erat volumen. Vide Amos 5, 25. & 9, 11. Confer Marc. 1, 2. Joh 6, 45. Matth. 2, 33. Act. 7, 42 & 15, 15. & sic ob hanc conjunctionem optimè hic locum habet illa numerorum anallage, quâ plurale ita adhibetur,

3. Quis finis utriusque.

quodnam argumentum Apostoli.

4. In prophetis,

i. e. in uno ex ijs.

Enallage numerorum.

betur, ut unum de pluribus intelligatur, quod plurimis exemplis ex scriptura petitis probavimus Ps. 1, 3. Jon. 1, 5. Junij a. sententia, qua existimat, quod Paulus ad plura loca prophetarũ respiciat, unũ verò tantũ citet, nescio an etiam locũ habeat, cũ alijs similibus locis planè non conveniat. Et hæc ἐν παρόδῳ, non autem ἐν σκιάδῳ, quam multos in multis insistere videas.

Vers. 6.] Sed redeamus jam ad textum prophetæ, ubi illud opus, quod Deus se facturum dixerat, disertè exponit, quod videlicet sit Chaldæorum in Judæam irruptio, invasio, urbisq; Jerosolymæ eversio, qua de re vide Jerem. 5. & 13. & 20. & 21. & 25. Hæc verò ut sint tantò atrociora auditu, Chaldæi describuntur à truculenta suâ natura, moribus terribilibus, adjunctis & effectis horrendis, & primò quidẽ populus v. 6. 7. &c. deinde eorum rex v. 10. & 11. Nam (inquit porrò Deus) ut appareant jam meæ minæ legi subjectæ (Deut. 28, 36. ecce ego excitans *i. e. paulò post & certissimè excitaturus sum* (Beno ni pro paulò post futuro, vide Nahum. 1, 9.) Chaldæos *propter durissimum imperiũ, quod in subditos exercent*, gentem acerbissimam Jer. 6. 22. & festinam *properantem suo imperio adjicere alias nationes & in decretis exequendis diligentem*, ambulaturam per latitudines terræ, *vadentem per terram quàm latè patet*, Luth. welches ziehen wird / so weit das Landt ist / *ut hyperbolicè studiũ dominandi indicet*, ad possidendum jure hæreditario habitacula non sua, *hoc est, non tantũ Judæam, sed & ipsam Hierosolymam, quod quia alij prophetæ sæpè satis disertè prædixerant, nunc sufficere poterat, nostrum prophetam in genere dicere ac obscurius, futurũ, ut urbs illa sancta à Chaldæis occupetur & vastetur.*

Chaldæorum descriptio.

Vers. 7.] Verùm nequis peccata hujus gentis, à Deo quidem ad has pœnas excitatæ, non tamen ad illa, quæ in executione earũ ex suâ libidine admisit flagitia, ab eodem impulsæ, aut

A Deo est pœna, non culpa.

aut facere ea jussæ, ad Deũ ipsum referat, propheta præoccupat, &, quod ex propria ipsorum malitiâ illa scelera ortum habeant, demonstrat, cum dicit, formidabilis, horribilis & terribilis ipsa gens Chaldæorum est, cum sit veri Dei, ejusq; legis de caritate proximo debitâ ignara, omnia ex sua libidine, animiq; impotentiâ moderatur, jus & autoritatem faciendi quidlibet pro arbitrio à seipso sumit. Luther. Das da gebeut vnnd zwinget / wie es will / nulla lege aut ratione ducitur, sed stat pro ratione voluntas, & ab ipsâ judicium ejus ac dignitas ejus prodit. Homines impotentes.

Ubi duo obiter notanda: unum, quod hebræum nomen verbale שְׂאֵת ita potius dignitatis & excellentiæ voce reddere convenit, ex locis parallelis, in quibus hoc modo usurpatur Gen. 49, 3. Job. 13, 11. Psal. 62, 5. Job. 41, 16. quàm voce deportationis. Alterum quod verbum יָצָא i. e. egredi, apud hebræos etiam de sermone & dictis usurpetur, quæ revelantur. Gen. 24, 15. Deut. 8, 3. Dan. 9, 26. Jer. 44, 17. Es. 2, 3. Mich. 4, 2. Sic Luc. 2, 1. ἐξῆλθε δόγμα. conferMarc. 1, 28. Johan. 21, 23. 1. Cor. 14, 36. Apocal. 19, 5.

Vers. 8,] Sed ut magis ea, quæ attulit, attendantur, aures q; animos q; hominum feriant, quæ simpliciter de velocitate ac crudelitate Chaldæorũ exposuit, nunc triplici similitudine illustrat, desumpta à feris & avibus carnivoris atq; rapacissimis, pernicissimis juxtà & immanissimis, videlicet pardis, lupis, aquilis. Similitudo triplex.

1, à pardis.

Nã leviores erunt pardis equi ejus, pardis, inquã, qui ad leonum naturam quam proximè accedentes sævitiam non habent minorem, celeritatem autẽ longè majorẽ, & quemadmodũ hi crudeles & veloces sunt ad nocendũ, & ad comprehendendum fugientes, ita equi Chaldæorum feroces & celeres erunt ad proterendum atq; conculcandum Judæos. Vide plura de pardorum natura apud Plin. l. 8. c. 17. & l. 10. c. 73. ad quam alludit scriptura Cant. 4, 6. Es. 11, 6. Jer. 5, 6. &

13,22. Hos.13,7. Et equi ejus (sub quorũ nomine ipsos equites etiam subintelligit) erunt acutiores & prædæ avidiores, germanicè cum Luthero bessiger / lupis vesprinis vespere ad prædam progredientibus, quando sunt sæviores, siquidem tota die jejuni fame ad rabiem concitati, velocius festinant ad prædam, sicut egregiè describit Virg. l. 9. Æn. v. 59. &c. Oppianus lib. 1. & 3. & ad horum naturam respicit scriptura in his locis Gen.49,26. Es.11,6. & 65,25. Jer.5,6. Ezech.22.20. Soph.3,3. Neq; futurũ est, ut unus & itẽ alter talis eques accedat, sed abundabũt, hoc est, sese abundantissimè & latissimè diffundent, Luth. Ziehẽ mit grossem Hauffen daher: Nahum. 3,18. equites ejꝰ, nec ullâ viæ lõgæ molestiâ aut deterriti aut tædio defatigati subsistent equites ejus, sed è longinquo advenient, & licet multũ viæ emensi sint, tamen nondũ delassati, sed æquè alacres involabũt ut aquila celer ad escã Job. 9,26. Matth. 24,28. 2. Sam.1,23. Prov. 30,17. 9. Jer.4,13.

2. à lupis.

Abundare i. e. se diffundere.

3. ab aquila.

Vers. 9.] Ne autem sine causa Chaldæos cum illis feris comparasse videatur, rationem subjicit, & qui illis sint similes crudelitate ac capacitate ostẽdit. Illa etenim gens Chaldæorum tota ad violentiam veniet, nil nisi crudelitatem & atrocissima quæq; spirans, Luth. sie kom̃en alle sampt / daß sie schadẽ thun / hausta faciei ipsorũ orientẽ versus, unde flat Eurus, qui tamen metonymicè pro orientali plagâ quandoq; accipitur, ut Ezech. 4,6. & 11,1. Hoc loco a. ad Chaldæam, unde hostes venerant, quæq; respectu terræ sanctæ ferè ad orientem sita erat, milites respecturos significat, quando ait, quod haustus faciei ipsorum, quo terram quasi absorbebunt, & sola horriditate vultus quosvis obvios prosternent (id quo ἔτυμον vocis hebrææ גֶּמֶא i. e. exsorpsit, exhausit, indicat, & phrasis cognata, quâ equus celerrimo suo cursu terram absorbere i.e. facilè superare ac emetiri dicitur Job.39,27.) tendat & respi-

קָדִים

גֶּמֶא

& respiciat semper orientem versus in patriam Chaldæam, ut eò spoliis & prædâ onusti revertantur. Lutherus sic vertit, wo sie hin wollen/ reissen sie hindurch wie ein Ostenwind / *hoc est, ut habent alij, occursus facierum ipsorum est, sicut Eurus* Eurus fortis. *i. e. horridus & fortis, ut Eurus dejicit arbores, frangit naves: quæ interpretatio satis probe esset, si in textu adesset particula similitudinis כ à principio, & à fine abesset ה locale in voce* קדימה, *quod huic repugnat, & priorem explicationem firmat: sed quam ob causam ita semper respiciunt Chaldæi? propterea tantâ celeritate illa gens alias nationes invasit,* ut colligat, *abducat ac deportet* tanquam arenam captivam turbam, *hoc est, innumerabilem, sicut arena numerari nequit, unde scriptura sæpissimè quamvis multitudinem magnam cum arenâ maris comparat Gen. 22, 17. & 32, 12. & 41,* Arena maris. *49. Jos. 11, 4. Jud. 7, 12. 1. Sam. 13, 5. 2. Sam. 17, 11. 1. Reg. 4, 20. 29. Job. 6, 3. & 29, 18. Es. 10, 22. & 48, 19. Jer. 15, 8. & 33, 22. Hos. 1, 10.*

Vers. 10.] *At ne quis dicat, alij reges & principes huic regi* Obj. *Chaldæorum, ejusq; copijs sunt restituri ejusq; conatum illum impedituri, ne terram exsorbeat & regna alia expilet: præoccupat porrò propheta, & huic objectioni occurrit his verbis:* Resp. *Frustra erunt omnia, quæ alij contra hunc molientur. Nam ipse Rex Chaldæorum à Deo armatus & defensus ex felici rerũ successu factus superbior,* regibus *assiduò* illudet, *quemadmodum cum in alijs Ægypti, Tyri, Sidonis, Arabiæ regibus probavit, tum vel maximè in Zedekia id videre est, ut legimus Jer. 25, & 29. 2. Reg. 25.* & dominatores *quantumvis potentes* risui erunt ei, ipse omnem munitionem deridebit, & coacervato *saltem* pulvere *& quasi per lusum operâq; tumultuaria structo aggere, etiam minus valido,* eam Pulvere urbs capta. capiet, *quemadmodũ etiam antiquissimam illam, potentissimam & munitissimã urbem Tyrũ Nebucadnezar occupavit*

Es.23. Jer.25,22.& 47,4. Ezech.26,3 7.& 27,2. Amos 1,9. Lutherus hæc ad totã gentem Chaldæorum refert, de qua versu præcedente, & non incommodè. nam qualis rex, talis grex, utq; ducum lituos, sic mores castra sequuntur.

חָלַף

Vers. 11.] Ex tanto autem rerum successu ei supra modũ crescet animus, & plus æquo insolescet. Tunc mutabit (חָלַף enim, *quod hoc loco plerique omnes interpretes vertunt intransitivè per verbum, mutatur, etiã activè usurpatur Esa. 24, 5. quamvis hic in sensu nihil discrepent illæ phrases*) spiritum transgredietur, *verecundiæ metas transiliet, terminos modestiæ transcendet, limitesq; reverentiæ omnis perrumpet, &*

אָשַׁם

delinquet, *hebr.* אָשַׁם, *ut reatum maximum obeat (ut etiam in his verbis sit πλεῖονεξ) sicut de regibus Babylonijs prædicitur, & de Nebucadnetzare probatur Esa 14,4.12. 13. Jerem.25. & 50. cap. Dan,4,30.* eò quod prædicet hanc vim suam, *quod ipse tot regna & urbes devicerit,* esse Dei sui, *nimirum Bel Esa.46,1. Dan.4,5. & proinde hinc facilè licet colligere, hunc successum prosperum & fortunam non diu duraturã, quia Deus omnem idololatriam & fastum odit, graviterq; punit juxta illud Esa. 42, 8. Ego sum Jehova, illud est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus, ut ipse Nebucadnetzar satis luculentum hujus rei exemplum fatetur Dan. 4, 37.*

Oratio.

Vers. 12.] Atq; ita transitus ad sequentia paratur, in quibus Habacuc se ad orationem & gemitus convertit, ut Deus pœnas suo populo impendentes clementer mitiget, nec Ecclesiam suam in ejusmodi tumultibus horrendis per Chaldæos excitandis, in persecutionibus ac tribulationibus penitus opprimi aut deleri, quando precatur: Ne moriamur Domine, simul auem se fide ac spe bona erigit, & ab æternitate, constantia Dei, & curâ de suis, adoptionisq; certitudine argumentans

fidei plena.

in tan-

in tantis rerum fluctibus sibi & omnibus pijs præsidium affore pollicetur, Chaldæis verò omnia tristia impendere vaticinatur, dum hæc verba præit propheta, quæ pius quisq; repetat ac dicat: nonne tu ab æterno es Jehova Deus meus, sanctus meus, *meus judex justus & vindex? certè tu es meus Deus, (quomodo Lutherus sensum exprimit interrogationis hebraicæ) cui ego me totũ consecravi ac dedidi, ideoq; non permittes, ut Chaldæi nos omnes ad internecionem deleant, ô sancte Israelis Es. 12,5. & 43,3.15. & 49,7. Ps.22,4. non secundum peccata nostra facias nobis, nec secundum iniquitates nostras refer nobis Ps.103,10. mortem sumus meriti, at per tuam gratiam in fœdere promissam* non moriemur, *sed ut tu es æternus, ita æternùm tuam conservabis Ecclesiam, & nũc quoq; defendes nos ejus cives, in hac vita ab hostibus corporalibus, & post eam ab omnibus nos liberabis, quia non creasti nos ad mortem, sed ad vitam tecum in perpetuâ beatitudine agendã, id verbo tuo edoctus certò mihi persuadeo Bell. l. 2. de verb. Dei c.2. recitat ex quibusdam autoribus opinionem Judæorum (quod mihi non fit verisimile) multa à quibusdam sapientibus & scribis eorum in sacris literis fuisse mutata, eaq; nunc rectius legi, quàm olim, & inter hæc esse hunc prophetæ versum, in quo olim fuerit,* לא תמות *non morieris, at correctum esse,* לא נמות *sed falsissimum hoc est, 1. quia Judæi dicunt, ne quidem literam aut punctum in biblijs ipsis esse mutata, sed in margine diversam lectionem notari, quæ de re vide Buxtorf. in Tiber. Johan. Isaac. contra Lindan. 2. Illud aut fuit olim ita à principio & tum non erat mutandũ, aut (quia ibi nullus sensus, dicere Deo, non morieris) fuit mutatum postea, quod etiam non potuisse fieri ijdem modò citati autores probant. Sed vetus illa est & à multis credita fabula, quam hic Bellar. recitat. Nos pergimus in textu. Ne quis ita*

Non moriemur.

Bellarm. nugæ.

Resp.

inter nos minus rectè colligat: Si Deus pater noster est, non sinet nos ab his malo tanto affligi: jam præoccupo, & dico, fieri hoc abs te, ô Deus, sine optimo, ut nos castiges paternè, ne cum hoc mundo damnemur. Jehova ad judiciũ disponis eum, & ô rupes *seu petra nostra, cui in malis tutò innitimur Ps. 18, 3. & 19, 15. Deut. 32, 4.* ad corripiendum *fundas, & firmiter constituis eum, & hactenus eum saltem tueris, & proinde nos meritò ex vera animi humilitate ita precamur,* Last sie vns/ O HErr/ nur eine Vätterliche Straffe seyn/ vnd laß sie/ O vnser Hort/ vns nur züchtigen/ *ut Luther. vertit.*

Deus est rupes.

Vers. 13.] Nam quod non probes ejus malitiam, & propterea tantum ei largiaris successum, paulò post apparebit liquidò. Scio, quod tu impijs minimè faveas, sed saltem ut virgâ, quâ castiges tuos filios, eis utaris, & cum suæ nequitiæ mensuram impleverint, confractos perdas, & in ignem æternum conjicias. Tu enim justitia ipsa quomodo delectareris injustitia? & qui peccata severè prohibes, graviterq́ punis in Judæis, quomodo peccata in Chaldæis velles? purior es oculis, quàm ut aspicias *cum delectatione & approbatione (nam quod ad nudam notitiam spectat, omninò vides & detestaris Psal. 10, 14. & habes* ἔκδικον ὄμμα,

Deus peccata non vult.

ὄμμα δίκης καθορῶν πάντα τὰ γιγνόμενα) malum *imò ita purus es, ut planè cum* εὐδοκίᾳ *intueri nequeas, id quod genus dicendi in textu hebræo innuit, quod pluribus ex scripturâ est explicatum* Comm. in Jonam c. 4. 3. *& hoc ipsum & sequens* ἐξήγησις *docet,* intueri *cum voluptate omninò* non potes molestiam, *quam mali bonis, Chaldæi Judæis, extranei tuo populo exhibent ex propriâ malitia. Idcircò justißime mundi judex, nos quidem tuus populus nostris peccatis, ut affligamur, meruimus, sed si cum Chaldæis comparemur, pleriq́ illis longè justiores coram mundo sumus. Cur itaq́ illos tam patien-*

negativè.

D

patienter toleras, & ut nos tractent pro suâ libidine, permittis? rogo te, libera nos ab illis, eos obstinatos in nominis tui gloriam perdito, siquidem hoc naturæ, volūtati, misericordiæ ac benignitati tuæ congruit, ut nos te confisos eruas, ac contrà tuam justitiam ac veritatem decet, ut hostes nostros in sceleribus suis exultantes reprimas aut perimas. Quare *enim* intuereris, *tolerares & non punires* perfidos, *quare* surdū ageres, dum absorbet improbus longè se justiorem, *probiorem, & tot tātisq; non maculatū flagitijs, quod de pijs Judæorū reliquijs (pro quibus intercedit propheta) Synecdochicè est intelligendum, quandoquidem reliqui improbi inter eos iniquitate gentes longè antecellebant Jer. 2, 10, 11. & his injustiores erant. Quousq; Jehova? iraſceris nobis in æternum? effunde æstum tuum in istas gentes, quæ te non agnoscunt, nostri autem tandem miserere Psal. 79, 5. 6. & 85, 2.*

Improbus affligit se justiorem.

Vers. 14.] *Cur tu tantum permittis Nebucadnetzari, ejusq; copijs, ut quosvis pro libitu invadant, vastent, perdant? nonnè tu gubernas & moderaris omnia sapienter Jer. 27, 5. quare igitur* faceres *nunc* homines, *si diutius conniveas,* velut pisces maris, *qui, ut facilè extrahuntur hamo vel sagenâ, ita Nebucadnetzar homines in terrâ facilè subjugat, captivosq; abducit Amos 4, 2. & cur relinqueres homines* velut reptile *seu pisces minores, inter quos sunt etiam, qui pedibus incedunt ac repunt, ut cancri, ranæ, squillæ, ac suo modo anguillæ, &c. unde nomine reptilis quandoq; veniunt in scripturâ Ps 69, 35. & 104, 25. Cur tu pateris, ut dicatur à nonnullis, populum tuum non habere dominum, qui eum protegat, & te non majorem ejus curam gerere, quàm pisciculorum in mari, quos sine ullâ pœnâ piscatores protrahunt & vel vendunt, vel dimittunt, etiam in terram projectos necant, cur itidem fieret in terra inter homines, ut infirmi opprimantur à poten-*

Homines ut pisces arnis.

(Reptile.)

potentioribus, sicut fit inter pisces, ubi minores majoribus pro cibo sunt, cùm illis non sit dominator, *piscis major, qui jure omnia moderetur, & injurias minoribus illatas vindicet.*: *Hæc sunt, ô Deus, quæ meum animum diversum trahunt, quod tu omnibus imperes, omniaq; gubernes, & tamen permittas, ut ita inordinatè (ut mihi quidem, si carnis & rationis judiciũ sequar, videtur, multa fiant in rebus humanis, ubi noster orbis mare, Nebucadnetzar piscator, homines ipsi pisces, rete verò, sagena, hamus, sunt ejus copiæ, vires, artes.*

Videntur multa inordinatè fieri.

Vers. 15.] *Nam ille avarissimus & insatiabilis cuncta ad se rapiendi libidine flagrans piscator Nebucadnetzar, non contentus est cepisse quosdam*, quotquot sunt, *etiam sine ullo discrimine*, hamo educit, & plagis suis omnes congregat, & retiaculo suo, *quod ἀμφιβληστρον græci vocant ἀμφίβληστρον, utrinq; conclusos*, recipit eos. *Quousq; v.tu, ô Deus, hæc permittes, ut justus cum injusto, probus cũ improbo eodem habeatur loco: fac appareat, aliter abs te hos, & aliter illos æstimari. Id n. si non feceris, multi offendẽtur, & ipse hostis reddetur deterior. Nam cũ tam immisericorditer ille egerit, injustè ac duriter, tantum abest, ut doleat, aut tantum flagitij commisisse pœniteat, ut* idcircò *vel maximè* lætetur & exultet, *quod est incurabilis malitiæ certũ argumentũ, quando quis non contentus peccasse, etiam in malo suo gloriatur & se jactitat, (quæ omnia iterum Lutherus ad totam Chaldæorum gentem refert, vide sup. v. 10.) quales qui sensum omnem doloris, conscientiam post maleficia pungentis, amiserunt, apostolus ἀπηλγηκότας nominat Eph. 4, 19.*

In malo gaudere.

Vers. 16.] *Ad hoc verò Deus tacebis & connivebis diutius, ut non tantum mala perpetret Chaldæus, sed in illis etjam se jactitet? non spero, nam ut taceam reliqua omnia, impiam ejus in te ingratitudinem considera, improbam arrogantiam*

gantiam ac superbiam perpende. Nam prospero rerum successu turgidus & elatus sibiipsi, suis armis, robori, potentiæ, omnia illa, quæ præclarè gesit, refert accepta, & seipsum Deum quendam facit Dan. 4, 26. & quando magnam mundi partē sub ditionem suam redegit, non ad Deum victoriæ autorem respicit, aut illi hunc successum adscribit, sed suæ tribuit industriæ Esa. 10, 13. quo ipso gravissimam committit idololatriam. Nebucadnetzaris arrogantia, ac idololatria.

Idcircò enim, quia tu, ô Deus, ejus cœpta secundas, sacrificat plagis & retibus suis, divinos honores assignat illis, per quos vicit, & suffitum facit retijaculo suo, quia existimat, quod pinguis sit portio ejus, conditio ejus lauta, benè aucta & opulenta, & cibus ejus opimus ac optimus.

Vers. 17.] Hæc autem quousq; feres Jehova? quousq; tandem tuâ hac abutetur ille clementiâ? an propter hoc educet, evacuabit, deplebit, & exonerabit plagas suas, ut eas rursum ad novã expediat capturam, & num jugiter occidendo ac delendo totas gentes non utetur tandem, te inhibente, clementia? sic quidem ille perget, si tu sinis, quomodo Lutherus reddit. sed ego, inquit, propheta fidei & spei bonæ plenus, ita concludo hac mea interrogatione, non, non sic futurum est deinceps, non potest, tu Deus frenum illi injicies, ne continuò sic pergat, tibiq; tuos divinos suffuretur honores, saltem tuam ipsius asseres gloriã, nec tam impium porrò fovebis. Quemadmodum n. suprà sæpius dictum est, hæc Interrogatio affirmativa negat vehementissimè, & hoc loco est conclusio, quâ pios solatur propheta, quod hæc mala non sint futura perpetua, & hostibus minatur, quod mox finem habitura sit eorum sævitia, atq; ita ad sequens caput, Deiq; responsum ad hanc querimoniam, transitus paratur. Dei clementia abutitur.

LOCI COMMUNES.

Ex versu 2.]

precibus in cruce instandum.

I. Quousq; Jehova non exaudies?] *Sæpè diu & multùm clamant pij, nec tamen exaudiuntur in eo, quod petunt, quia Deus eorum fidē ulterius vult exercere, & magis sui nominis gloriam amplificare, quando juvat, cùm jam summa adest angustia, Illa tamen auxilij mora fide, spe & patientia est vincenda Psal. 27, 13. & 42, 6. Hab. 2, 3. Luc. 21. 19. Sir. 7, 9. Vide Lothum, Josephum, Israelitas, Davidem, Danielem, ejusq; socios. Discamus igitur prophetæ exemplo, ne unquam sub cruce intermittamus preces, aut deficiamus Luc. 18, 1. Eph. 3, 13.*

Quæ multum valent.

II. Quum clamavero violentiam.] *Calamitates ideò etiam immittit Deus, ut pij ad preces excitentur Es. 19, 22. & 26, 16. Jer. 31, 18. 19. & ipse invocatus exaudiat ac glorificetur Es. 65, 24. Psal. 145, 18. Sir. 35, 20. Ps. 50, 14. 15. & 76, 12. Caveant itaq; sibi impij, & desinant pios affligere, quia preces horum multum valent, tandemq; exaudiuntur Jac. 5, 16. Prov. 15, 29. Sir. 21, 16. & 35, 21.*

Ex versu 3.]

Bonis malè, & malis benè esse, nulla capit ratio.

I. Quare facis ut videam iniquitatem?] *Homines non facilè Dei vias intelligunt, ideoq; sæpius apud se ambigentes quærunt, quare Deus hoc vel illud facit aut permittit? illius enim cogitationes & viæ non sunt cogitationes & viæ nostræ Es. 55, 8. 9. præcipuè verò hæret animus hominis pij, cùm malis benè, bonis malè esse videt, siquidem hoc ab omni rationis judicio alienum est, filios castigari, servos impunitos abire, illos minus, hos magis curari aut beari (ut carni videtur) quemadmodum etiā sanctissimi quidam hoc ipso graviter sunt offensi Job. 21, 7. Ps. 73, 2. Jer. 12, 1. Eccl. 9, 4. 5. Quidam verò rectius ea Dei judicia admirantes exclamaverunt, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & imperveſtigabiles viæ ejus Rom. 11, 33. Psal. 92, 6. Es. 40, 13. 1. Cor 2, 16.*

Scriptura revelat.

II. *Cùm quærit propheta admirabundus, cur Deus faciat ac permittat, ut videat molestiam, vastitatem, violentiam, discimus ex scriptura, ubi voluntas Dei nobis est revelata, esse investigandas causas, cur Deus pios, quos diligit, cruce & afflictionibus in hac vita exerceat. Eamus in sanctuaria Dei fortis Psal. 73, 17. & in omnes partes mentis nostræ, imò fidei oculos convertamus.*

Ex parte Dei,

Supra nos, *Deus castigat, quia paterno nos prosequitur animo Prov. 3, 13. Heb. 12, 6. 7. & diligit, ut suum unigenitum filiū*

Patris,

Joh. 17, 23 cujus imaginis nos vult fieri conformes Rom. 8, 29 hic sustulit suam crucem, & nos eam tollamus necesse est Luc. 9, 23. hic per multas an-

gustias

gustias intravit in gloriam, & nos per multas tribulationes intrare oportet Luc.24,25.46. Actor. 14,22. Deus filius igitur in hac angustâ viâ Filij, *tanquam dux præcedit, quem decet nos sequi Matth. 10,38. & 16, 24. malus verò est miles, qui gemens suum imperatorem sequitur. Deus Sp. Sanctus consolatur 2 Cor. 1, 3. & Deus novit extentatione eripere suos* Spiritus S. *2. Pet. 2,9. suis adest Psal. 91, 15. fidelis est 1. Cor. 10, 13.* Intra nos ipsos, *ut aut gaudeamus propter testimonium bonæ conscientiæ, tum in* ex parte nostrâ, *hac causa, coram hominibus 2. Cor.1,12. Ps. 44. & 7.tum per Christum fide apud Deum purgatæ Rom. 8,33. Ps.23, 4. Heb.9,14. aut doleamus ob testimonium conscientiæ malæ, quod scimus, nos non tantùm hæc, sed longè graviora nostris peccatis esse promeritos Psal. 119,137. 143,3. Jer.10, 23. 24. Mich. 7,9. Thren.3,38.* Circa nos, *ut alij nostro exemplo erudiantur, tum pij, tum impij, illi ut pergant, hi ut desinant. Vide Psal. 94, 19.* Proximi. *2.Cor.1,5. Luc.23,11. 1. Pet.4,17. Ezech. 9,6.* Infra nos *denij infernus est, quem ut effugiamus, Deus nos in hac vita castigat 1. Cor.11,32. Psal.* Hieronymus id *73,24. Ubi meritò notanda est egregia* Hieronymi *sententia, quæ hac* benè explicat. *de re extat in prologo Habacuc. Hic in multis non scimus judicia Dei investigabilia, nec profundum divitiarum sapientiæ ac scientiæ ejus, quia non ita videt Deus ut videt homo. Homo tantùm præsentia respicit, Deus futura & æterna cognoscit. Et quomodo si ægrotans & æstuans febribus aquam frigidam postulat, & dicat ad medicum, vim patior, crucior, usquequò medice clamabo & non exaudies: Respondebit ei sapientissimus & clementissimus medicus, scio quo tempore dare debeam, quòd postulas, non misereor modò, quia misericordia ista crudelitas est, & voluntas tua contra te petit. Ita Deus noster sciens clementiæ suæ pondera atq; mensuras, interdum non exaudit clamantem ut probet, magis eum provocet ad rogandum, & quasi igne excoctum puriorem faciat. Proinde non cedat malis homo pressus 2. Cor. 4,1. sed benedicat Deo omni tempore Ps.34,1.2.*

III. Cur est, litem & jurgium qui efferat?] *Corrupti Reip.* Litis amor *status indicium est, & hominum ibidem degentium impotentiæ ac injustitiæ, ubi fora litibus perstrepunt, & rabularum inquietorum fervent studia, quæ non decent Christianos Es. 58, 4. 1. Cor. 6, 1. Jac. 4,2. sed pax* damnatur. *Rom.12,18. Heb.12,14. Facilè igitur est divinare, cujus spiritus filij sint illi, qui lites studiosè sufflant, contentiones excitant & producunt sui lucri gratia? Vide eos, qui scripserunt in præceptum Decalogi octavum & quæ dicta sunt Mich. 7,v. 3. L.C 3.*

Ex versu 4.]

Leges bonæ sunt Reip. anima.

I. Idcircò intermittitur lex, & non procedit unquam jus.] *Leges salutares sunt quasi anima Reip. Hujus autem quum perturbata est constitutio, illæ quasi deliquium patiuntur in corpore hoc politico, & parum abest, quin hoc totum dissolvatur ac pereat. Vide quæ suprà in explicatione textus allata sunt. Nam benignitas & fides custodiunt regem. Prov. 20,28. Psal. 61, 8. & 101, 1.2. & 82, 1. &c. ut meritò sit orandum à subditis, ô Deus, judicia tua regi da Psal. 72, 1. 2. &c, quia rex confidens Jehovæ, fretus benignitate excelsi non dimovebitur Psal. 21, 8. dominator verò attendens sermoni mendaci omnes ministros suos habet improbos Prov. 29, 12. quod sit potissimùm, quando lex Dei, quæ semper ipsi debebat versari ob oculos Jos. 1, 8. & consiliariorum vice fungi Psal. 119, 24. è conspectu ejus removetur, cujus ratio gravissima olim erit reddenda Sap. 6, 5.*

Improbi justitiam non colunt.

II. Improbus circumsidet justum, idcirco prodit jus perversum.]

Omnia plena malis,
Cùm penes injustos jus est, & jussa malorum
sunt metuenda bonis. Psal. 12, 9. quæ miseria latè exponitur Psal. 10. quem vide.

Ex versu 5.]

Exempla aliorum monent.

I. Respicite in gentibus] *Tunc tua res agitur, paries cum proximus ardet: & scitum est, periculum ex alijs facere, tibi quod ex usu sit Prov. 24, 32. Heb. 4, 11. Nam astutus prævidens malum abscondit se, at fatui temerè transeuntes, malè mulctantur. Prov. 22, 3. sic Christus antidiluvianorum & Sodomitarum Luc. 17, 26. &c. Paulus Israëlitarum exempla nobis proponunt 1. Cor. 10, 6. &c. atq; ita omnia reliqua in V. & N. T. proposita exempla respiciamus, ut, quid in illis sequendum, quid fugiendum, observemus, & in peccatis illud Christi nobis suggeramus, nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis Luc. 13, 3. 5. Confer hodie Turcas cum Chaldæis hic descriptis, & nostros homines cum Judæis, & maximam, proh dolor, utrobiq; invenies cognationem. Illi enim æquè crudeles, hi æquè mali, vel etiam pejores deprehendentur.*

Culpam pœna premit comes.

II. Opus operor, quod non crediturí estis] *Deus magna committentibus crimina ac flagitia, magna immittit supplicia & flagra, quemadmodum in lege comminatus est fortis ille zelotes Exod. 20. 5. Levit. 26.*

vit. 26, 14. &c. Deut. 28, 15. &c. Exemplo sunt antidiluviani, Sodomitæ, Pharao, Benjaminitæ.

Ex versu 6.]

I. Ego excitaturus sum Chaldæos] Regnorum & gentium initia, progressus, successus ad Deum autorem referri debent Dan. 2, 21. Job. 12, 18. & 36. 7. 12. Psal. 105, 44. & 144, 10. Exempla sunt in regibus terræ Canaan, regno Davidis diviso 1. Reg. 11, 31. & 12. 15. Monarchia Persarum ad Medos translata Esa. 45, 1. &c. & aliàs Deus ipse dicit, Ego inducam malum. Jer. 19. 3. & ult. 2. Reg. 24, 2. quod in hoc Germania patriæ nostræ statu eheu apparet liquidò! Regnorum mutatio à Deo.

II. Gentem acerbissimam ad possidendum habitacula non sua] Crudeles crudele manet supplicium Jacob. 2, 13. 14. & 5, 5. & spolians despoliabitur Esa. 33, 1. Jam quomodo crudelitas, injustitia, rapacitas &c. aliaq; similia flagitia apud Israelitas viguerint sup. v. 2, 3. 4. expositum est, & proinde ut faciant his Chaldæi, sicut ipsi fecerunt suis fratribus, æquissmum est. Vide quæ de pœna talionis diximus in Psal. 7, 15. 16. Joel. 3, 4. 8, Amos. 3, 11. Crudeles crudeliter tractantur.

Ex versu 7.]

Abs quâ judicium istius] Quos spiritus Dei, spiritus ille lenitatis & reverentiæ Jehovæ Esa. 11, 2. Galat. 5, 22. non agit Rom. 8, 14. plerumq; omnem humanitatem tandem exuunt, & fiunt omninò ἄστοργοι, ἀνελεήμονες, ἀσύνετοι Rom. 1, 31. ἀνήμεροι 2. Timoth. 3, 3. atq; ita sæpe linguâ grandiloquâ blasphemât, linguæ nostræ jus obtinemus, labia nostra penes non sunt, quis esset dominus nobis? Psal. 12, 4. 5. Exod. 5, 2. Impii, inhumani.

Ex versu 8.]

I. Nam leviores erunt pardis equi ejus] Cum emittit Deus sermonem suum in terram, quàm celerrimè excurrit verbum ejus, & res, quam edixit, illicò efficitur. Psal. 33, 9. & 147, 15. & 148, 5. ut in reliquis omnibus, ita etiam in bellis, ubi quos armat & animat ipse, celerrimè omnia occupant & vastant. Vide Joel 2, 4. 5. 6. 9. Dixit & facta sunt.

II. Acutiores lupis vespertinis.] Homines sibi relicti facilè obbrutescunt, Psal. 32, 9. imò longè pejores ipsis feris evadunt, quod pluribus explicatum & ex scriptura deductum est in L. C. 2. generali ex parte priori Psalmi decimi, & Mich. 5, 8. Inspice Plinium lib. 7. cap. 1. Senecam epist. 104, quibus adde duo egregia Chrysostomi dicta, quæ huc apprimè Improbi obbrutescunt.

Chrysostom. apprimè quadrant: unum ex homil. 12. in Genes. scriptura homines malos canes vocat, ob impudentiam & impetum; ob libidinem, equos; ob stupiditatem & ruditatem, asinos; leones & pardos, ob rapacitatem; aspides, ob fraudulentiam. Alterum homil. 23. ad populum Antiochenum. Unde potero te fidelem agnoscere, dictis omnibus contraria protestantibus? quid verò fidelem dico? nec enim es homo, cum tanquam asinus recalcitres, lascivias ut taurus, ut æquus post mulieres hinnias, ventri tanquam ursus indulgeas, ut mulus carnem impingues, rapias ut lupus, irascaris ut serpens, ferias ut scorpius, sis subdolus, ut vulpes. Elegans est

Basilius. locus Basilij M. εἰς τὴν ἑξαήμερον, ὁμιλία ι. περὶ τῆς τοῦ ἀνθρώπου κατασκευῆς, circa finem mihi p. 88. quem græcè libet apponere: Τί οὖν ἐρεῖς, ἐγὼ θηρία ἔχω ἐν ἐμαυτῷ; καὶ πολλὰ ὄχλον ἐν σεαυτῷ θηρίων ἔχεις. καὶ μὴ ἰδεῖν νομίσῃς εἶναι τὸ λεγόμενον, μικρόν ἐστιν ὁ θυμός, ὅταν ὑλακτῇ τῇ καρδίᾳ, κύων πάντως οὐκ ἔστιν ἀγριώτερον; τῇ δὲ δολερᾷ ψυχῇ ὁ δόλος ἐμφωλεύων ἀρχὴ πάσης φωλεοῦ οὐκ ἔστι δυσημερώτερον; οὐκ ἔστι θηρίον ἡ ὑπόκρισις; ὁ δὲ ὀξὺς εἰς ὀργὴν σκορπίος οὐκ ἔστιν; ὁ δὲ λάθρα εἰς ἀμωμον ὁρμῶν ἐχίδνης οὐκ ἔστι χαλεπώτερον; ὁ δὲ πλεονέκτης, οὐκ ἔστι λύκος ἅρπαξ; ποῖον θηρίον ἐν ἡμῖν οὐκ ἔστιν; ὁ θηλυμανὴς οὐκ ἔστιν ἵππος ὑπομαινόμενος; ἵπποι γάρ φησι θηλυμανεῖς ἐχρεμέτησαν, ἕκαστος πρὸς τὴν γυναῖκα τοῦ πλησίον αὐτὸς ἐχρεμέτησε. μετέθηκεν αὐτὸν ὅλον τῶν ἀλόγων φύσις, διὰ τὸ πάθους, ᾧ προσωκειώθη. Πολλὰ οὖν θηρία ἐν ἡμῖν.

Ex versu 9.]

Belli mala. Illa tota ad violentiam veniet]

Nulla salus bello pacem te poscimus omnes,

quia in bello plerâq; crudeliter ac violenter geruntur, unde inter plagas à Deo propter peccata immissas solet numerari Levit. 26, 17. Deut. 28, 25. 2. Sam. 24, 13. Ezech. 5, 12. & 14, 17. Meritò itaq; oramus, sit pax & stabilitas diebus nostris Esa. 39, 8. ut sub nostro magistratu tranquillam

Magna & multa. & quietam vitam degamus cum omni pietate & veneratione 1. Tim. 2, 2. In bello homines capiuntur, captivi abducuntur, abducti in servitutem trahuntur, bona diripiuntur, ædes incenduntur, & quis posset illam ma-

at majora sub diaboli tyrannide. lorum, quæ in bellis est, recensere iliaden? si verò hæc sunt auditu horrenda, visu tristia, cogitemus, quantò tristius & horribilius sit sub diaboli tyrannide æternum detineri captivum, cui tam facilè, tam libenter

tam

tam multi homines peccatis suis se mancipiant, nec, nisi filius Dei fide apprehensus eos liberet, unquam dimitti queunt. Vide Hos. 13, 14. Psal. 18, 5. 6. Luc. 1, 71. 74. & 11, 21. 22. Joh. 8, 34. 1. Cor. 15, 22. 57. Coloss. 2, 14. 15. Rom. 6, 20. 2. Pet. 1, 19. 1. Joh. 3, 8.

Ex versu 10.]

I. Ipse rex regibus illudet] *Deus reges superbè ambulantes per alios potest & solet dejicere Dan. 4, 37. donec & hi suæ iniquitatis mensuram compleverint Genes. 15, 16. tum enim futurum est, ut ab alijs expectent & patiantur, quod fecerunt ipsi alijs, sicut fatetur Adonibezek Jud. 1, 7 sic à Philistæis Saul 1. Sam. 31. hi à Davide vincuntur 2. Sam. 8, 1.*

Deus per unum malum punit sæpè alterum.

II. Omnem munitionem ridebit] *Quando Deus vult regioni aut urbi meritas pœnas infligere, nulla regis potentia, nulla munitionum subsidia obsistere aut impedire hoc possunt, adeò ut etiam illi, qui ab ipso divinitus ad id armantur, omnem conatum perdendorum rideant & pro nihilo habeant Prov. 21, 30. Amos. 9, 3 quia Dei manus est omnipotens Psal. 89, 14. Esa. 48, 12. 13. & ille portarum vectes confirmat Psal. 147. 13. eosdemq; confringit Amos 1, 5.*

Nihil contra Dominum.

Ex versu 11.]

I. Tunc mutabit spiritum, reatum obibit]

Luxuriant animi rebus plerumq; secundis.

Nam cùm improbi non sunt in labore mortalium, cingit eos torques superbiæ Psal. 73, 5. 6. Job. 15, 25. 26. 27. extendit impius adversus Deum manum suam, currit adversus eum collo erecto Psal. 37, 7. efficit cogitata: sed illa quies & tranquillitas perdit eos Prov. 1, 32 sua tamen ipsorum culpâ Hos. 13, 8. quia ipsi bonis à Deo concessis malè utuntur, & sua bona non rectè administrant Luc. 16, 1. oremus itaq; cum Salomone, paupertatem & divitias ne des mihi Prov. 30, 8. 9. quia & pij sæpe rebus secundis sunt sicut juvenculus indomitus Jer. 31, 18. exemplo est David. 2. Sam. 11. & 24. cap. Ezechias divitijs suis superbiens 2. Reg. 20. Es. 39. Josias bellum non necessarium movens, quando agebat prosperè 2. Chron 35.

Impij superbia.

Bonis corporalibus facilè abutimur.

II. Prædicans hanc vim Dei sui esse] *Sæpe homines quæ à Deo acceperunt, suis idolis blasphemè accepta referunt, & proindè meritò illis privantur Hos. 2, 5. 6. 8. Sic h. l. Nebucadnetzar dicitur Deo suo falsò tribuere, quod Dei veri erat, qui ipsum excitaverat sup. v. 6. qui est potens in bello Psal. 24, 8. & docet manus ad prælium Psal. 144, 1. imò à quo*

Idololatria est, tribuere alij, quod est Dei.

quo est omnis successus in bello Prov. 21, 31. Psal. 3, 9. & 33, 17. & 118, 6. 1. Chron. 29, 11. 12. 2. Macc. 10, 28.

Ex versu 12.]

Dei æternitas.

I. Nonne tu ab æterno ?] *Deus solus est ab æterno Psal. 90, 2. Rom. 1, 20. & 16, 26. & misericordia ejus ab æterno in æternum Ps. 103, 17. & 136, 1. &c. & suos deducit in via æterna Psal. 139, 24. per quem Israel servatur salute æternâ Esa. 45, 17.*

Fiducia singularis.

II. Jehova Deus meus es, sanctus meus] *Fides vera omnia bona à Deo in verbo oblata sibi applicat in individuo cum Davide Ps. 23, 1. & 27, 1. Paulo Gal. 2, 20. Thoma Joh. 20, 28. unde pij fide dicuntur παραλαμβάνειν ad se recipere Joh. 1, 12. 1. Cor. 15, 1. Col. 2, 6. Vide Chemnit. p. 1. Exam. Concil. Trid. L. 9. de Fide. quæst. 1.*

Pij sunt immortales.

III. Non moriemur] *Qui Deum fide vera colunt, etiam post mortem vivunt, quia Deus non est mortuorum Deus Matth. 22, 32. ex Exod. 3, 6. & tales etiam in mediâ morte possunt dicere, Non moriar, sed vivam, ut enarrem Jehovæ opera Psal. 118, 17. Et hîc in propheta notanda est fidei πληροφορία ac sanctorum παῤῥησία, quâ Christo nixi ad thronum gratiæ audacter accedunt Heb. 4, 16. ut accipiant benedictionem & vitam, quam promisit in seculum & æternum Psal. 133, 3.*

Impij virga Dei.

IV. Jehova ad judicium disponis eum] *Deus est, qui immittit & disponit mala Job. 1, 21. Amos 3, 6.*

V. Ad corripiendum fundas eum] *Impij sunt quasi virga Dei, quâ castigat suos filios Esa. 10, 5. & quia sunt velut carnifices, mirum non est, quod eorum opera Deus potius utatur, quàm aliorum piorum. Ita enim etiam in hoc mundo magistratus sua judicia, non per honoratos, (quod tamen olim factum esse, ex biblijs monstrari facilè potest) sed per infames homines hodie plerumq; ac maximam partem exequitur.*

Ex versu 13.]

Deus non vult peccatum.

I. Purior es oculis, quàm ut aspicias malum] *Deus peccati autor non est Psal. 5, 5. nec eo ullo modo delectatur Esa. 30, 1. & 65, 12. & 56, 5. Zach. 8, 17. Amos 6, 8. Sap. 14, 9. Jerem. 19, 5. Caveamus igitur illud summo studio, ne Deus offendatur.*

Gradus peccatorum.

II. Dum absorbet improbus justiorem se] *Certi sunt peccatorum gradus, & unum altero est gravius ac atrocius, licet omne mereatur æternam condemnationem, tamen etiam in illâ pœnarum erunt gradus Matth.*

dus Matth. 5, 20, 21. & 11, 21. Joh. 19, 11. Matth. 23. 14. 15. Jac. 3, 1. Sap. 6, 6. Atq; hoc respectu unus altero justior sæpè esse dicitur comparatè, non quod omninò careat peccatis, sed quod tam enormibus non sit obnoxius, quibus alter Jerem. 3, 6. Ezech. 16, 51. Luc. 15, 7. & pœnarum.

Ex versu 14.]

Faceres homines velut pisces maris?] Ne unusquisq; inter homines agat pro libitu, & faciat, quod libet, Deus suos inter eos constituit vicarios Deos, videlicet magistratus, quos vult rectè judicare Exod. 22, 28. Deut. 1, 17. 2. Chron. 19, 6. Psal. 82, 1. cùm ipse sit mundi judex Gen. 18, 25. qui judicat populos rectè Psal. 67, 5. Interim sæpè permittit, ut se invicem homines, & quandoq; etiam mali bonos devorent, occultis, sed non injustis de causis Eccl. 9, 12. Magistratus.

Ex versu 15.]

Quotquot sunt, hamo educit] Tyranni non contenti sibi concesso imperio, vicinorum quoq; affectant, insatiabili q; regnandi flagrant libidine Esa. 5, 8. quem volunt, extollunt, deprimunt, occidunt, Dan. 5. versu 19. Tyranni.

II. Idcircò lætatur & exultat] illa demum omnium maxima est nequitia, cum homines in peccato suo exultant, & se offerunt Psal. 52. 2. ut fecerunt olim Sodomitæ Esa. 3, 9. De peccato gloriari.

Ex versu 16.]

I. Sacrificat plagis suis] Magna idololatriæ species est, quando homines sibiipsis vel alijs creaturis acceptum referunt, si quid boni ipsis obtigit, cum omne bonum donum sit à Deo patre luminum, Jac. 1, 17. cui in omnibus agendæ sunt gratiæ Coloss. 3, 17. 1. Thess. 5, 16. cui soli sapienti debetur honor & gloria 1. Timoth. 1, 17. & cui soli hoc cultu serviendum Matth. 4, 10. Peccant autem contra hoc, qui suæ sapientiæ & potentiæ aliquid tribuunt Dan. 4, 26. vel tantùm ad media, relicto Deo, respiciunt, ac dicunt in corde suo: Fortitudo nostra & robur manus nostræ hæc omnia nobis præstiterunt, & Dei sui non recordantur Deut. 8, 17. 18. sapiens autem non glorietur in sapientia sua &c. Jer. 9, 23. 1. Corinth. 1, 31. 2. Cor. 10, 17. Soli Deo gloria.

II. Quia pinguis est portio ejus] Tanta est nostræ naturæ corruptio, ut quò plura à Deo accepimus beneficia, quibus nos ad se allicit, tanquam pater benignus, eò longius ab illo recedamus, & ex illis discendi Hominum perversitas.

dendi occasionem captemus, Prov. 30, 9. Deut. 8, 11. & 32, 15. quibus meritò illud proclamat apostolus, ô homo, an divitias bonitatis Dei contemnis? Rom. 2. v. 3. 4. 5.

Ex versu 17.]

Deus est ultor. An propter hoc educet plagas suas jugiter] Tandem Deus, cum nolunt resipiscere improbi, gravissimè punit. Psal. 7, 13. 14. id quod ex luce naturæ novit poëta, quum scribit gravissimè, ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα.

Preces piorum. Ex toto verò hoc ultimo membro, intercessione videlicet prophetæ, pro suo populo, Discimus I. quales debeant esse piorum preces, nempe ardentes, constantes, &c. vide quæ in Psalmis 10. priorib. aliquoties dicta hac de re, & alibi. II. decere cum omnes pios, ut instantibus publicis calamitatibus, quibus sæpè probi cum improbis, velut communi sagenâ involvuntur, ut testantur historiæ Lothi Gen. 14. Jeremiæ, Danielis, & sociorum in captivitate Babylonicâ simul abductorum &c. ad preces confugiant Psal. 26, 9. & 28. 3. Psal. 26, 9. & 28, 3. tum imprimis verbi divini ministros, ut pro suis auditoribus orent, exemplo Mosis, Exod. 32. Num. 11. Samuelis 1. Sam. 7. Jeremiæ c. 15, 1. Christi Johan. 17. Pauli Ephes. 3. quia hoc Deus vult Ezech. 13, 5. & 22, 30.

Pro auditoribus orent doctores.

CAPUT SECUNDUM.

ARGUMENTUM.

Summa. PRopheta ad suam querelam, cur Deus per Chaldæos permitteret suum affligi populum, responsum divinum expectat, quod etiam accipit: Chaldæos quidem tanquam orbis prædatores judicium ipsius esse effecturos, sed illos paulò post ambitionis, avaritiæ, inhumanitatis, luxus, & idololatriæ pœnas daturos esse gravissimas, & proinde pios monet, ut fide se sustentent, ac in timore Dei perseverēt, cum futurum sit, ut ipsi ex suis liberentur malis, ex captivitate quidem Babylonicâ, quando hostes ipsorum Chaldæi à Medis & Persis sunt devicti; ex regno verò Diaboli per Christum mundo promissum salvatorem fide apprehensum.

Quarta igitur prioris prophetiæ Habacuc pars hoc capite secundo

secundo explicatur, videlicet responsum Dei ad quærimoniam posteriorem, cœptam c. 1. v. 12. Habet autem hoc caput duo membra principalia: quorum prius est exordium seu præfatio, quo paratur attentio, potissimùm à persona & officio prophetæ v. 1. Posterius est responsi divini explicatio, cujus tres sunt partes: Prima continet proœmium, quo & modus propagandi hujus vaticinij ostenditur versu 2. moraq; completionis ac certitudo indicatur v. 3. Secunda habet generalem θεσιν, in quâ hominis injusti facta, justi officia, ac utriusq; eventa exponuntur v. 4. Tertia est ὑποθεσις, quæ illam ad malos & injustos Babylonios v. 5. & seqq. & pios ac fide justos Judæos accommodat v. ult. Quoniam autem de Chaldæorum seu Babyloniorum excidio in hoc capite potissimùm agitur, in eo declarando inprimis versatur propheta, idq; primum generatim proponit elegantissimâ προλήψει, quâ simul causas ejus, seu malefacta illorum per congeriem explicat v. 5. deindè speciatim exponit, quando sententiam in judicio Dei latam, omniumq; testimonijs comprobatam pronunciat, ita ut ejus ferendæ quinq; gravissimas causas indicet, & singulis judicium superventurum subjiciat. Illarum I. est ambitio & rapacitas inexplebilis *v. 6. Justum igitur est, ut hosce Chaldæos alij vicissim divexent, spolient ac conculcent, quia ipsi spoliaverunt alios, in eosq; violentiam exercuerunt v. 7. & 8. II. Avaritia &* fastus insatiabilis *v. 9. quæ satis est probata apud omnes populos v. 10. adeò ut ipsi parietes eam testari queant v. 11. dignũ itaq; est, ut pudore suffundantur v. 10. III. Tyrannis &* inhumanitas incredibilis *v. 12. cui judicium à Deo ipso inferendũ subnectitur* ἐπικῶς, *quod æquum sit, ut malè parta injustorum malè dilabantur v. 13. &* ἀντιθετως, *quod meritò justi impleantur Dei benedictionibus abundantissimè v. 14. IV. Luxus &* libido infa-

Partes duæ, I. Præfatio.

II. Dei responsio habet membra tria

1.

2.

3.

Chaldæorum excidium.

Ejus causæ

1.

2.

3.

4.

infamis *v. 15. quam ignominiâ maximâ v. 16. & violentiâ*
§. *hostium atrocissimâ Deus ulturus est v. 17. V.* Idololatria
crassissima *v. 18. cui jure optimo denunciatur maledictio*
v. 19. Et hactenus prior ὑποθέσεως *locus de Babylonijs injustis & propter sua peccata & flagitia perdendis, copiosè est explicatus: sequitur posterior de justis Judæis in sua fide ac pietate salvandis, breviter declaratus v. 20.*

PARS PRIOR.

Responsum Dei expectatum.

Vers. 1.] In priori membro principali primum propheta responsum Dei ad suas preces pro populo Dei se anxiè expectare dicit, deindè expectatum accipit, & cum scripto, tum vivâ voce proponit. Quia enim suprà c. 1. v. 12. 13. &c. quæsivit propheta, Cur Deus sinat gentem injustam ac superbam exultare victorijs, cædesq; ac rapinas impunè auferre à populo se longè justiores, nunc responsurus, quod mirabili Dei judicio, tollatur in altum,

Ut lapsu graviore ruat,

gravioresq; suæ crudelitatis, aliorumq; flagitiorum det pœnas, prius commendat suam hanc prophetiam, quod ea sit divina ac certa, licet plurimi sint futuri, qui eam contemnant, rideant, improbent, attentionemq;, quam facit initio, pro ratione castrensi figurat, quasi explorator esset in custodia aut arce munita collocatus diligenter circumspiciens, num quid mali gravioris ingruat, & quomodo averti queat. Confer Es. 21, 8, & quod aliàs ex Ezech. 3, 2. & 33, 7. diximus Mich. 7, 4. 7. meliusq; hujus comparationis fundamentum intelliges. Sic a. incipit Habacuc: In custodiâ meâ, *in quâ sum quasi custos constitutus, atq; ita ut non fas sit, pedem loco movere, cùm ego* sto, *& firmiter collocatus, immotusq; consisto in munitione seu obsidione, ut miles obsessus, qui undiquaq; respectat auxilium, ab omni parte circumvallatus, ut in circulo (quomodo*

Habacuc est velut speculator in castris.

מצור

quidam

quidam vocem hebræam vertunt. R. D. Kinchi, quod propheta steterit in circulo & dixerit, Domine, non exibo hinc, donec mihi dixeris, cur differas pœnam improborum) atq; ita in loco meo me sisto, ubi me observant, circumstant, & velut obsessum tenent, qui expectant, quid Dominus per me responsurus sit ad quæstionem suprà propositam, ita ut vocabulum מִשְׁמֶרֶת *sumatur passivè, quomodo mandata Dei hoc nomine appellantur Genes. 26, 5. Zach. 3, 7. Mal. 3, 14. quod sint servanda & custodienda, cùm in demandato mihi officio vigilis spiritualis versor, & diligenter attenteq; observo, atq; adeò ex loco edito* speculor, *vel ut excubitores, qui, si quid periculi imminere audiunt, loca altiora & tutiora petunt, ex quibus omnia videre, meliusq; observare possint: sic ego mihi divina gratia & revelatione altiorem & penitiorem mysteriorum Dei ac providentiæ ejus cognitionem, quâ mens mea supra res humanas evehitur altius, tribuo & respicio* ad videndum, quid eloquatur *jam* mihi, *vel, ut textus hebræus habet,* in me, *videlicet per Spiritum propheticum 2. Sam. 23, 1. Zach. 1, 9. 13. 14. & 2, 2. siquidem prophetia non fiebat exterius, verùm intrinsecus, & ita, ut Deus in ac per hominem seu virum suum loqueretur, &* quid nunc respondeam, *reponam, referam, hebr.* הָשִׁיב (*quod verbum sæpè ita usurpatur pro verba edere, responsum dare Exod. 19, 8. Jos. 22, 35. Num. 22, 8. 2. Chron. 34, 28.*) ad correptionem, *disceptationem ac disputationem meam Job. 13, 3. 6. quando pro populo Dei intercedens quæstus sum de providentia Dei, ut sciam, quid dicendum sit, tum quando alij eam accusant, & mirandam Dei gubernationem reprehendunt, quò Lutherus respiciens affixum passivè vertit, & in concreto, quod positum est in textu in abstracto & activè,* was ich antworten solle / deme der mich schilt.

מִשְׁמֶרֶת

Loquitur in me.

הָשִׁיב *i.e.* respondere.

LOCI COMMUNES.

Ex versu 1.]

Ministri verbi probi.

I. In custodia mea stabo & consistam] *Verbi divini ministris in sua statione firmiter est consistendum, & ea saltem docenda, quæ mandat Dominus: sciant se esse constitutos custodes, vigiles, speculatores, episcopos Ezech. 3, 15. & 33, 7. Act. 20, 28, 31. 1. Pet. 5, 1. 1. Timoth. 4, 13. 15. 16. 2. Timoth. 4, 5. quibus opponuntur arundines Matth. 11, 7. mercenarij fugientes Johan. 10, 12. adulatores Ezech. 13, 18. muti canes Es. 57, 2. 3. 4. ocioſi ventres, qui ſeipſos tantùm paſcunt Ezech. 13, 29. & 34, 8. Philip. 3. v. 19.*

mali.

In malis ad Deum respiciendum.

II. Consistenti in munitione & speculanti] *Discimus exemplo prophetæ, quid faciendum, quando omnia in mundo temerè ferri ac volvi videntur sup. c. 1, 12. 13. nempè animos supra mundū & carnis sensum evehamus, & Deum loquentem in verbo audiamus, qui solus hæc rectè declarare potest Psal. 73, 17. 2. Cor. 4, 17, 18. sup. c. 1. 3. L. C. 2.*

Verbum Dei docendum.

III. Quid loquatur in me] *Verbi divini præcones prius Deum in scripturis sibi loquentem consulant, quàm ad docendum prodeant, ut spiritu Dei acti loquantur 2. Pet. 1, 21. & ut verbum Dei 1. Pet. 4, 11. quemadmodum prophetæ semper in ore habent*, verbum Domini, sic ait Dominus &c. *& Christus jam huic mundo valedicturus, quod ad visibilem præsentiam, suos discipulos jubet docere, ea servari ab auditoribus, quæ ipse præcepit Matth. 28, 30.*

PARS POSTERIOR.

Vers. 2.] Ad hæc verò cùm anxiè expecto oracula revelationesq; divinas, respondit mihi Jehova, dicens *& jubens his verbis suum responsum publico & evidentißimo programmate oculis omnium subjici.* Scribe visionem, *& quidem* perspicuè, *hebr. declarando, ut Deut. 27, 8. visum hoc describe explanatè ac dilucidè, majusculis literis* in istis tabulis *exara, & velut artificiosè depinge, ut Lutherus vertit, ut poßit ab unoquoq; etiam minus perito ac pertranseunte sine hæsitatione legi*, ut *citò* percurrat *sine morâ*, quisquis eam lecturus est. *Ubi Lutherus sensum respiciens verborum*

Scriptio dilucida.

in textu

in textu hebræo, græca & latina versione, immutat ordinem, quando interpretatur, daß es lesen kundte / wer fürüber leufft / *pro eo*, auff daß es durchlauffen könne / wer es lesen wil. *Neq; est quod quemquam hoc turbet, quum sensus idem sit, videlicet ita scribendum esse, ut vel in transitu sine morâ legi posset ab omni. Utilissimum enim est, ut in oculis, ore ac animo omnium versetur, & ipsi inde discant suam confirmare fidem.*

Vers. 3.] *Scribe igitur ita & prænuncia, aliquandiu differetur prophetia, licet omninò futurum sit, ut tandem eventus respondeat, non statim, inquito, implebitur, sed tum demum, quum temporis à Deo constituti finis advenerit*, adhuc hæc visio ad constitutum tempus *differetur, & rejecta est* (*quod verbum licet desit in textu hebræo, tamen ex sequentibus facilè potest suppleri. Pro eo autem Lutherus maluit substituere, implebitur, & verbum sequens activum passivè vertere, ut sit ejus explicatio quasi consequens nostræ & prophetæ sententiæ h. m.* Die Weissagunge soll noch biß auff eine bestimbte zeit auffgeschoben werden / welche GOtt geredet / daß sie zu ihrer zeit wol kommen soll / *quomodo verba hebræa sonant, sequitur ergo*, die Weissagung wird ja noch erfüllet werden / vnd wird endlich frey an Tag kommen) *ad tempus certum, inquam, differetur visio, quam* effabitur *Deus* suo termino, *& ad finem, quando eventus ipse declarabit, vera fuisse, quæ prædixerim*, neq; mentietur, *non fallet expectationem, ut nunc quidam me criminantur, ut qui sim vanus propheta, tantùm inanibus terriculamentis perturbans, ac vanis pollicitationibus hominum animos lactans. Proinde quisquis pius es, & rectè tuis rebus cupis consultum*, etiamsi cunctetur (*ut tibi quidem videtur*) *tamen* expecta eam (*verbum hebræum est ἐμφατικὸν*, חָכָה *enim notat, verâ*

Visio non statim impletur.

חָכֹה

verâ fide, patientiâq; expectatione anhelare ad rem promissam, ut teneatur, quemadmodum ostendit horum locorum collatio 2. Reg. 7, 9. Job. 3, 20. Ps. 33, 20. Es. 8, 18. & 30, 18. Dan. 12, 12. Hos. 6, 9. Sophon. 3, 8. unde apostolus Hebr. 10, 36. utitur vocabulo ὑπομονῆς, tolerantiæ talis, quæ sub cruce manet, nec fugit, promissionibus Dei firmiter inhæret, ijs se sustentat, nec ullo modo se inde dimoveri patitur) nam omninò ventura est, hebr. veniendo veniet, ac non tardabit ultra diem à DEO constitutum, quia tardare is demum verè dicitur, qui tempore statuto & condicto non venit 2. Pet. 3, 9. Deus igitur qui novit temporum articulos Act. 1, 7. & tempore opportunissimo juvat Psal. 9, 10.

Tardare.

In se non tardat, carni tardare videtur.

cui propter crucis impatientiam & liberationis expectationem omnis mora longa videtur. Quod si ita est, quid pij queruntur, se affligi, impios florere? parum hoc est, & tandem fiet mutatio 2. Cor. 5, 17. 18. nam adhuc pusillum quantulumcumq; & qui venturus est, veniet, neq; tardabit Hebr. 10, 37. tantùm bono animo este, & patientes usq; in adventum Domini, qui appropinquat Jac. 5, 7. 8. Sic enim accipiendum esse hoc membrum de adventu Dei ad auxiliandum quovis tempore, & scopus prophetæ, & citatio hujus dicti in allegato loco abundè declarant, quin etiam sequentia idem demonstrant. Si quis tamen κατ' ἐξοχὴν de divisione ac promissione de Messiæ adventu ex communi patrum, aliorumq; multorum sententia velit accipere, contra analogiam fidei non peccat, modò sciat, se, quæ in genere hic dicuntur & de typo, intelligere de specie ac de antitypo. Obiter hic notandum, nos cum textu hebræo, Luthero, Junio, &c. de visione hæc posteriora interpretari, quæ alij de Deo accipiunt, cujus tamen hoc loco non fit mentio, nisi ita velis hæc reconciliare, quod Deus moretur

Deus venit ad auxilium.

retur & veniet, quando differtur aut completur ejus promissio. Longè simplicior tamen est sensus prior, & in epistola ad Hebræos potest subintelligi, λόγῳ τῦ Θεῦ.

Vers. 4,] Sed videsis, quomodo hac saluberrimâ prophetæ admonitione utantur cùm injusti, tum justi, id quod prophetakis verbis declarat: Ecce, cum omnium esset, & ex re omnium, huic meæ hortationi acquiescere, Deiq; promissionem spe firmâ expectare, in quo non est recta anima ejus, in eo semper ebullat, ipse homo extollitur, effert se ac superbit, elatoq; animo confidit, se proprijs suis præsidijs contra omnem fortunæ eventum satis esse munitum, & cum frustra elvtus, nulloq; firmo muniminè nixus in clivum speciei videtur assurgere, & permagnus mons effici, ebullat tantùm, non magis est solidus, quàm bulla, quæ mox crepat, & sua ipsius imbecillitate rumpitur ac evanescit. Hæc est ἔμφασις vocis hebrææ עֻפְלָה quæ est 3. fœm. sing. præt. Pyphal, & ad sequens nomen, aliàs commune, h. l. fœmin. נֶפֶשׁ refertur, quam varij variè reddiderunt, adeò ut vix duos inter se concordare videas interpretes, quorum interpretationes brevitatis ergo omitto, easq; malo vpud Drusium, Riberam, Gualtherum & alios videri, quàm huc afferre, ut magnum efficiam Commentarium, qui sat habeo, si illam, quam attuli, explicationem probavero. Est enim à Rad. עפל (ut omnes sani cogantur fateri) quæ propriè denotat clivum seu editiorem terræ partem 2. Reg. 5, 24. 2. Chron. 27, 3. & 33, 14. Nehem. 3, 26, 27. & 11, 21. Esa. 32, 14. Mich. 4, 8. Per metalepsin autem seu metonymiam significat munitionem, arcem, quoniam hæc plerumq; illi imponitur, ut sit natura loci munitior. Per metaphoram deniq; quando scilicet transfertur ad homines improbos, notat animi elationem, superbiam ac confidẽtiam, unde verbum inde deductum in Hiphil significat, in altum contendere,

Ebullat impius.

עפלה עפל ab

tendere, & quidem impetuosè, magnaq; animi confidẽtia aut præsumtione Num. 14, 44. quæ omnia si conferamus cum præsenti loco, & prophetæ scopo, qui est, ut ostendat, improbos seipsis potius, aliisq; rebus instabilibus, quàm Dei promissione niti, quâ tamen salvetur justus, facilè de sensu vocis hebrææ, & veritate nostræ interpretationis constabit, à quâ, quod ad rem ipsam, iterum non procul recedit Lutherus noster ita vertens, **wer halßtarrig iſt / wird keine Ruhe in ſeinem Hertzen haben:** tantùm quia termini in hac propositione sunt convertibiles, quod est in textu hebræo subjectum, apud eum tenet locum prædicati, & pro eo, quod nos ex hebræo dicimus, in quo non est recta anima ejus, ipse sensum respiciens, & eventum, reddit, qui nunquam quiescit, siquidem improbis nulla est pax aut quies Esa. 57, 24. 25. & 48, 22. quam hoc loco suaserat propheta, & scriptura hac periphrasi notat improbos, quod illorum cor seu animus non sit rectus, qua de re Mich. 6, 8. & 7, 2. 4. hoc est, juxta scripturæ & sanctæ linguæ stylum, ubi sæpè negatio contrariam affirmationem vehementißimam innuit, depravatißimus, corruptißimus, pessimus. Qui verò talis, eum non probat Deus, quod ex græca versione citans apostolus ita vertit Hebr. 10, 38. ἐὰν ὑποστείληται, οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ i.e. qui se ex infidelitate, securitate aut metu seduxerit à promissione mea, ille, quia animus ejus rectus non est, mihi non placet, meoq; animo non probatur, & sic neq; in his verbis diversa à propheta est sententia, ut ita etiam hic lapsu græcorũ interpretum, dum pro נַפְשׁוֹ legerunt נַפְשִׁי benè usus sit Sp. S. ut aliàs declaratum est pluribus Amos 5. Quod a. nonnulli, & inter eos præcipuè Ribera, vulgatã versionem, quæ habet, qui incredulus est, ita eunt defensum, quod sit is, cujus cor fide nõ est illuminatũ, cùm vox hebræa significet tenebras, in eo insignem suam produnt ignorantiam, confundentes vocabula diver-

Improbus non quiescit.

animus ejus non est rectus.

Conciliatur cum Heb. 10, 38.

Qui confundunt cum אוֹפֶל, malè faciunt.

diversissima, nempe אוֹפֶל *cum* עוֹפֶל. *Atq; ita se habet impij hominis conditio, qui semper, ut cum Evãgelista græcè dicam* ἐμφατικώτερον, μετεωρίζεται *Luc. 12, 29. animi pendet, animo suspenso ac dubio angitur. Contrà verò justus per fidem in Christum, quâ meritum ejus sibi applicat, etiam de se desperans propter hunc se patri placere, certò sibi persuadens, salvabitur* ex fide suâ, *suâ, non alienâ, quã tamen particulam apostolus amisit, cum suo proposito non multum inserviret in ijs locis, ubi de Justificatione hominis agit in genere, & quum sensus esset in tuto, cura ei de verbis non fuit, ut hactenus rectè dicit Hieronymus, & aliàs multis exemplis probatum est, sæpè in citatione dictorum V. T. in Novo omitti quædam, quæ ad præsens negotium non pertinent. Quærebatur autem inter apostolum, ejusq; adversarios, quâ re homo justificaretur coram Deo, respondet ipse, fide; hi, operibus; suum probat ille, citans hoc prophetæ dictum,* ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται. *Ubi notandum, licet in textu hebræo sit particula* ב, *quæ propriè & plerumq; significat* IN, *tamen eam sæpe rectissimè verti græcè per* EK *vel* ΕΞ *i. e. ex. Confer Deut. 6, 5. & Marc. 12, 30. Luc. 10, 27. & cum hoc prophetæ loco versionem apostoli Rom. 1, 17. Gal. 3, 11. Heb. 10, 38. sæpe per* διὰ *seu per. Expende Deut. 32, 21. Hos. 12, 13. Ps. 78, 2. Joh. 1, 4. Act. 17, 28. Ps. 18, 30. Matth. 17. 21. Phil. 4, 13. & aliàs in juramentis hoc frequens est Esa. 45, 23. Matth. 5, 34. unde hoc licet colligere,* ἰσοδυναμοῦντα *esse,* ἐκ πίστεως, διὰ πίστεως, πίστει *in hoc articulo apud Paulum Confer Rom. 3, 18. 22. 26. Justus igitur ex fide, per fidem, in fide, fide* vivet, *vivet, hic vitâ gratiæ, post verò vitâ gloriæ, salvus erit, quemadmodum aliàs sæpe in scriptura vivere, pro vitâ beatâ frui usurpatur, Levit. 18, 5. Neh. 9, 29. Psal. 22, 27. Esa. 55, 3. Ezech. 18, 9. & 26, 11. & 33, 11. Luc. 10, 25. 28. quomodo Paulus hoc dictum Rom. 1, 17. Gal. 3, 11.*

Μετεωρίζεται.

Cur Paulus omittat, sua.

ב significat in, ex, per

Vivere i. e. beatum esse.

citans de fide justificante & vitâ æternâ potissimùm, quã per illã cõsequimur, interpretatur, quod hic in genere de omnibus Dei promissionibus à propheta allatũ erat hoc fine, ut electi & pij omnes certò ac constãter teneãt, quâ in re debeãt conquiescere in medijs calamitatum procellis, & unde vivere in ipsis mortis angustijs securè possint. Ubi duo hæc annotanda, quod nemo vivere in summis angustijs & morte ipsa possit, nisi qui justus sit, &, quod nemo justus sit apud Deũ, nisi ex fide, quæ deinde in calamitosis temporibus patientiã omninò habet adjunctam, quomodo ex analogia idem dictum accommodatur in epistola ad Hebr. c. 10, 38. Sicut n prophetæ tempore calamitas maxima præmebat pios, quæ à Chaldæis, & postea per alios inferebatur: Sic deinde etiam semper omnes pios per afflictiones plurimas ad regnum cœlorum oportet contendere, & proinde semper vitæ & justitiæ ille modus tenendus, quem omnes fideles in Christo apud Deũ cõsequũtur. Qua de re qui plura scire desiderat, videat Junium in parall. sacr. Calv. lib. 2. Inst. c. 3. sect. 42. & si placet, inspiciat disputationem nostram de hoc ipso dicto habitam in festivitate Jubilæi Lutherani an. 1617. ubi, quæ hîc desiderari possunt, inveniũtur, de ternâ apostoli allegatione, nostri in his verbis abundantissima instructione, Pontificiorum, Bellarmini, Costeri, Riberi hoc dicto abutentium vel id detorquentium refutatione. Titulus Disputationis est: TUBA JUBILÆI LUTHERANI.

Heb. 10, 38 est accommodatio.

Ubi hoc dictum prolixiùs explicetur.

Tuba Jubilæi Lutherani.

Vers. 5.] Ne enim hic nimis præter morem prolixi simus, redimus ad textũ prophetæ nostri: in quo gravis illa commonefactio jã explicata (promissiones Dei fide esse percipiendas, cujus effectus sit justitiâ ac vitâ, non autem cœca ratione æstimandas, ut faciunt inquieti homines vera fide carentes) Babylonijs, qui quidem expressè non nominantur, sed quia res satis nota erat ex aliorum prophetarum concionibus, certiùs notiùs de-

Babylonij improbi.

tis describuntur, applicatur & ostenditur satis prolixè, quomodo illi ebullent, ac frustra se efferant, quam sint paulò post suâ mole rituri, quæ ex pluribus flagitijs est cōstructa, quemadmodum etiam Esa. 13, 14. Jer. 50. 51. cap. declaratur. Et hanc ob causam jam copiosè hæc tractat propheta, ut, si fieri possit, insultationem ac insolentiam hostium frangat, qui rebus secundis intumescebant & efferebantur. Contrà verò ut populus Judaicus ex hoc eorum interitu consulationem, & certissimam de complemento reliquarum Dei promissionum expectationem conciperent, ac in fide, quâ vivunt, perseverarent ac magis corroborarentur. Nam si illi, qui Dei verbo non crediderint, corruant, ut dictum est, quantò magis isti exscindentur, neq; diu permanebunt, qui immersi omni nequitiæ in Deum ipsum peccant nefariè, & proinde Nebucadnetzaris regis Chaldæorum felicitas non longo perstabit tempore, cum sit homo vinolentus, perfidus, superbus, dominandiq; libidine inexplebili laborans, quæ vitia per Dei justitiam inulta haud auferet, & propterea hinc saltem consolationem capiant, qui mecum conqueruntur in superiori capite, quod Deus tantū ipsi largiatur successum, siquidem paulò post ipse quoq; peribit. Cum enim vinolentus sit, אִישׁ הַיַּיִן vir vini (quomodo ellipsis in textu hebræo supplenda est, sicut & Proverb. 20, 1. Zach. 10, 7. & similes ellipses vide apud Buxtorf. thes. l. 2. c. 4. anomalia 1. pag. 342. 343.) & perfidus, puta in illos, qui ejus se dediderunt fidei: præterea etiam vir arrogans (quæ tria vitia Lutherus noster ita conjungit, aber der Wein betreuget den stoltzen Mann! quasi diceret propheta, vinum perfidè agit seu decipit virum arrogantem, quod tamen usus verbi בָּגַד intransitivi scilicet, in scriptura non facilè admittit, præsertim quū præpositio ב, qui cum in hac significatione solet construi, absit, si ad ipsa verba velimus respi-

non diu florebunt.

אִישׁ הַיַּיִן

בָּגַד

respicere. Sensus tamen ipse non malus neq; absurdus est, & ferè eodem recidit) & non permaneat in suo habitaculo, non possit intra imperij sui limites se continere, ut patet de Nebucadnetzare Dan. 4,19. sed dilatet velut infernus animum suum, desiderium, cupiditatem, imò seipsum Es. 5, 14. Prov. 30, 16. quoniam luxum aulicum inexplebilis comitatur avaritia, ut sit, unde queant sumptus suppeditare magnates, cumq; ipse sit velut mors, quæ non saturatur, sed quum quotidie multos tollat, semper plures appetit, recipiatq; ad se omnes gentes, congregetq; ad se omnes populos ex mera libidine dilatandi suos terminos, non contentus regni sui terminis, cumq; in Nebucadnetzare hæc omnia vitia sint conjuncta, sintq;, quasi annuli in catenâ, inter se copulata ac invicem cohærentia, quis dubitet, quin paulò post sit pœnas daturus gravissimas, & hisce flagitijs interitum sibi acceleraturus? certè nemo, nisi cui justitiæ divinæ rigor in improbos obstinatos minus sit cognitus.

Nebucadnetzar ut infernus.

& mors.

Fiet fabula.

Vers. 6.] Prædico igitur (sic pergit porrò propheta) futurum, ut ille, qui Dei permissu hactenus omnibus terrori fuit; deinceps fabula ac risus fiat. Nam cum superbissimum illum Nebucadnetzarem Dominus punierit, omnes gentes, quas subegit tyrannicè, canent de eo parabolam, ut ipsius casus abeat in proverbium, & in ejus obitum carmen lugubre obscurum & ænigmatibus involutum, in quo obliquè taxent ejus vitia, component subditi, quin etiam facti audaciores nudis & apertis verbis eidem sunt maledicturi Confer Esa. 13, 9. & 14, 9, 10. Etenim annon (ita profectò, quam responsionem affirmativam apud hebræos talis innuit interrogatio, ut sæpè jam dictum & probatum) in ore erit omni populo hæc gravissima sententia, quomodo Lutherus eleganter, was gilts aber / quasi sponsione quavis certare esset paratus Habacuc, omni-

omninò futurum, ut dicant omnes, isti omnes populi, *quos sibi subjecit Nebucadnetzar*, de eo *punito* parabolam prolaturi essent, *nec tantùm obscurè ei insultaturi, verùm etjam apertè addituri* interpretationem cum ænigmatis de eo, & dicturus *unusquisq; pius, qui ex fide vivit, sup. v. 4.* & exosus.
Væ multiplicanti non sua, *acquirenti per fas & nefas alienas ditiones plurimas*, der sein Gutt mehret mit frembden Guthe / *Luther. euge*

εὖγε θεὸς τὸν ἄλιτρον,

ita oppressorem aliorum ex lege talionis, oppressum oportuit! nam quousq; *tandem, ô Deus, faceret hæc impune? ô benè, quod tandem pro merito eum tractaveris, & pœnas inflixeris* numerosi aggreganti penes se, *aggravanti & multiplicanti sibi opes immensas, quæ tamen ipsi futuræ sunt*, velut densissimum lutum. *Nam quid est aurum, argẽtum, as &c.* Opes conferuntur luto. 1. *quod ad substantiam? nil, nisi vulva, alba terra, siquidem in terra gignitur, & ex terra effoditur, & in hac vita, ut lutum* 2. *est oneri illi, qui portat, sic nimiæ opes gravant possidẽtis animum, ut lutum illum impedit, cujus adhæret pedibus, quò minus possit progredi, & quò plus sæpè conatur se expedire, tantò magis intricatur: sic opes in pietatis via magno impedimento sunt ei, qui illis adjicit animum, cum ad vitam æternam contendit. Marc. 10, 23. 24. Luc. 8, 14. & post hanc vitam reddũt opum iniqui domini sibi terram gravem, cum illis à Deo ac hominibus maledicitur, ut meritò dicatur densissimum lutum super se cumulare, qui opes injustè congregat. Vide Drus. l. 15, observ. c. 18. Prov. 18. class. 1.* 3.

Vers. 7.] *Et* annon repentè consurgent (*ubi iterum interrogatio ad rei certitudinem adhibetur, quod innuit Lutherus ita vertens*, O wie plötzlich werden auffwachen / die dich beissen) *& contra te insurgent Medi ac Persæ*, qui morde- Medi dejiciunt Assyrios.

mordeant te, *spolient, mutilent, lacerent, ut copiosissimè hoc judicium exponitur Esa. c. 13, 14. 21. Jer. 50. & 51. & qui hactenus quasi somno altissimo oppressi ac consopiti videbantur, nonne brevi* expergiscentur divexaturi *te, & annon* eris tum continenti eorum direptioni *expositus, Luther.* Du must jhnen zu theile werden / *ut prædones orbis in prædam continuam cedant alijs Esa. 13, 17. & in plurimas, vel potius innumeras deprædationes, quod numerus pluralis in textu he-*

מְשִׁסּוֹת *braeo innuit, cum dicitur,* לְמִשְׁסּוֹת, *quod est à Rad.* שָׁסַס *i. e. diripuit, deprædatus est, non verò ab R.* עָסַס *vel* רָמַס *vel* רָפַס, *quæ notant conculcare, ut mirer Tremellium & Junium interpretari per conculcationem, cùm & sequens versus sit hujus* ἐξήγησις *hoc modo:*

Vers. 8.] Quia tu spoliasti gentes multas, spoliaturæ sunt te omnes reliquiæ populorum, *quæ se Medis sunt associaturæ, idq; propter homicidia, quæ commisisti, quando protulisti violenter imperij fines,* propter sanguinem *humanum, inquam, effusum, & propter cædes,* violentiamque terræ *Judaicæ, quâ eam affecisti, quamq; exercuisti potissimùm* in urbem *illam sanctam Jerosolymam, (cui* κατ' ἐξοχὴν *urbis* Urbs. *nomen debetur, longè rectius quàm Romæ)* & omnes habitantes in eâ, *quæ ex Jerem. 50, 9. 10. 11. 17. & 51, 2. 24. satis clara sunt.*

Vers. 9.] *Idq; futurum est, quia certissima est hæc justitiæ divinæ regula, quam nunc subjicio, ab hypothesi ad thesin digrediens, ut omnes ex his Dei judicijs discant sapere.* Væ dedito quæstui malo, *malumq; afferenti, ut Lutherus reddit, inhianti lucro, quo jure, quaq; injuria, discindendo ac*

בֶּצַע *concidendo alios, quæ vocabuli hebræi* בֶּצַע, ἔμφασις, pro domo *& familia* suâ, *ad stabiliendam rem suam quæstu, etiam scelleratissimo, & quidem ex mero fastu, ut superbas ædium mo-*

les ex-

les exstruat, velut illi, qui, ut sibi æternum nomen compararent, turrim parabãt exstruere Babylonicã Gen. 11. ut disponat in excelso *regiam suam Dan. 4,27. quæ tamen corã Deo* nidus *est, & meritò ita dici meretur Hobadj. v. 4. quẽ tamen ipse, homo fastu fascinatus, quâ est stultiâ arcem invictã existimat,* quâ eripiatur, *liberetur & tutus sit ab injuriâ & vexatione hostium, & eruatur* ex potestate *omnis* mali.

Palatium nidus est.

Vers. 10.] *Sed ô te omnium stultißimum & miserrimum, qui ita frustrà rationes deputas: dicam tibi quod res est, cum ita tibi voluisti prospicere,* consilium inivisti pudendum domi tuæ, *id quod eventus ostendet, optimè cogitata ex mirabili Dei judicio casura pessimè. Cùm enim deliberabas, quomodo* exscinderes *contra jus ac fas populos multos, tũ* peccasti in animam tuam, *contra teipsum, contra tuam ipsius salutem, cujus fecisti jacturam, ita nefariè manu elatâ & mente totâ peccans, quod Dn. Lutherus exprimere voluit.*

Crudeles sibi malè consulunt.

Vers. 11.] *Neq; etiam existimes, quod nemo ausit tuas rapinas reprehendere: falleris, si id putas. Nam* lapis è pariete *in tuâ regiâ* exclamat, *illam ex rapinis esse exstructam & vindictam contra te à Deo deposcit,* & nodus è ligno, *tignũ, quod ad continendos parietes in medio structuræ ponitur, ac græcè vocatur* ἱμάντωσις, *à Symmacho a. hoc loco* περιφραστικῶς *appellatur,* συνδεσμὸς οἰκοδομῆς ξύλινος, testificatur *itidem* illud, *ut sic ista, unde structura constat, quasi alternis vocibus per choros proclament ac sibi invicem respondeant.*

Creaturæ mutæ accusant homines malos.

Vers. 12.] *Quando n. lapides præcinuerunt, taxantes ædificia nimis magnifica cũ afflictione & injuria subditorũ exstructa:* Væ ædificanti civitatẽ *& amplianti eã* cædibus *aliorũ, Ezech. 24,6. Mich. 3,10. Sir. 34,24 25.26. statim succinent ligna, &* Væ *fundanti, constituenti,* stabilienti, *munienti* urbem iniquate, *h. est, opibus iniquè per vim fraudesq; partis.*

Luxus ædificiorum.

Vers.13.] *At dicat quispiam, nimis potens est Babylon, nullus homo ei nocere potest: respondet propheta per concessionẽ, homo non potest, Jehova ipse potest, & faciet, quod prædixi.*

Dominus Zebaoth. Annon *enim* ecce à Jehova *Domino* exercituum *est.*

Cui mare, cui tellus, cui magnus militat æther,
& servit promptè, quicquid ubiq; viget,

omnem spem elabendi facilè eripiam, cùm iratum tibi dico omnipotentem, omnipræsentem Psal.139, 7. &c. Ecce, considera saltem & benè apud animum perpende, non accidit fortuitò, sed certo Dei consilio, justoq; ejus judicio, quod gentes illæ Chaldæorum frustrà delassantur, inanemq; sumunt operam, quod laborant populi pro igne, *& mox ac hoc comburenda Esa.13, 5.6.9. Jer. 50, 32.39 40. 45. & 51, 25.30.37. 43. 54. 58.* & nationes pro inanitate fatigantur.

Laborare pro igne.

Vers.14.] *Hoc mihi vide, & jam, priusquam fiat, attende, nam paulò pòst* replebitur, *ac tam certò ac si jam repleretur* terra *notitiâ Dei*, cognoscendo gloriam Jehovæ *tam abundanter*, ut aquæ operiunt maris alveum, *siquidem, quando cognoscent omnes potentiam Dei punientis tam magnos & potentes tyrannos, honorem nominis divini reddet valdè illustrem Chaldæorum pœna, quia inde omnes scient ac certissimè colligent, Deum Ecclesiæ hostes pro merito suo perdere, ac suos defendere, atq; adeò futurum tum est in Ecclesia & extra eam mare immensum cognitionis Dei ex rebus tam stupendis Rom.11, 33. Confer Esa.11, 9. ita tamen, ut inde non statim cum multis interpretibus, præcipuè veteribus ac pontificiis colligas, sicut in illo capite agitur de Messiæ adventu, ita etiam hic, quia h. l. cohærentia textus aliud clamat, ibi aliud postulat.*

Deus fit clarior in pœna.

Mare cognitionis Dei.

Vers.15.] *Hoc autem judicium tam horrendum ac memorabile promereris, ô rex, imò tota gens Chaldæorum, non tantùm*

tantùm avaritiâ, dolis, superbiâ, crudelitate, verùm etiam ebrietate, intemperantiâ, &, quæ hujus comes esse assolet, turpissimâ libidine. Nam si in lege divinâ væ denunciatur præbenti potum proximo suo vel suis socijs, quemadmodũ aliàs sæpè singulare pro plurali usurpatur Job. 42, 10. Nahum. 2, 4. quid te futurum est, quid pœnæ tibi imponetur, adhibenti utrem tuum vini, quo illos, quos sub fucatâ amicitiâ convivio excipis, vino obrutos deridendos propines alijs, cum ipsis ex animo non faveas, sed mel in ore, fel in corde geras, quomodo multi interpretes חֲמָתְךָ à חֵמָה i. e. æstus iræ, furor, deducunt & vertunt, tu misces tuum furorem, dum hoc agis, quo ignominiæ notam socijs inuras, cum sit à חֲמַת i. e. uter, lagena, id quod verbum adjunctum innuit, quod propriè significat, facienti transire utrem tuum, ut nos dicimus, du lessest die Kanne offt nach dem Keller gehen / du lest die Kanne wol herumb gehen / & sequentia idem probant, quæ ita habent, & non desistis propinare, donec eos inebriaveris, ut postea, cum neq; manus, neq; pes, neq; mens suum facit officium, intuearis nuditatem eorum, hoc est, verenda seu pudenda, sic dicta κατ' ἀντίφρασιν, quod minimè nuda conspici debeant. nam hæc est summa ignominia Nahum. 3, 5. 6. idq; facis, vel ut saltem inde voluptatem capias, & turpis turpi spectaculo pascas oculos, ut pessimus ille Cham Gen. 9, 22. vel, quod detestabilius est, ut illi vino sepulti & rationis minus compotes amori tuo turpissimè ac flagitiosissimè inserviant, quomodo scriptura aliàs hanc phrasin usurpat Levit. 18, 6. 7. &c. & 20, 11. 17. Ezech. 16, 36. & hoc flagitio infames fuisse Babylonios narrat Herodotus, Ctesias, & alij. Ex quibus constat, frustrà esse illos interpretes, qui per ebrietatem insignes calamitates metaphoricè hic intelligi volunt, ut sequenti versu Jer. 25, 26. & alibi (quomodo etiam Obadj. v. 16. verbũ

חֲמָתְךָ quid hoc loco.

Nuditas.

Inebriare hic non notat calamitatibus affligere.

bibere explicuimus prolixè) *quasi per illas facerent Babylonij, ut populi omnibus suis denudati ab illis aspiciantur cum lætitia. quæ quidem sententia vera est, & nostræ subordinata: sed tamen verba ipsa, textus cohærentia, & scripturæ analogia eam huic loco primariò non quadrare ostendunt.*

Vers. 16.] *Omnia autem ista flagitia & abominanda crimina cum in te admiseris, ô Babylonie, ut à Deo meritas expectes pœnas, id restat, & quia tu adeò circumfluis gloria & amplitudine, ut abutaris eâ in omnem ignominiam,* saturaberis certissimè *(id enim præteritum pro futuro adhibitum denotat)* ignominiâ præ gloriâ, *hoc est, non amplius tibi erit gloria ulla, quemadmodum particula* מ *aliàs sæpè negativè usurpatur, ut probatum est, & dicet tibi Deus,* bibe tu quoq; *mala omnis generis experire Jer. 25, 26. Obadj. v. 16.* & retege præputium *(hebr.* הֶעֲרֵל, *siquidem* עָרְלָה *denotat præputium, vulgatus interpres vertit, consopire, Lutherus* das du daumelst, *quasi legeretur in textu hebræo inversis literis* הֶרָעֵל, *quod tamen non est in usu, nec, si esset, in textu apparet) inebriatus cum summo dedecore ferto illam injuriam & ignominiam, quam intulisti alijs, quia vertet se, rerumq; cernetur vicissitudo,* diverter, *inquam,* ad te quoq; poculum dextræ Jehovæ *ac potentiæ, siquidem robur hominis in dextra situm est potissimùm, & hæc Deo tribuitur ἀνθρωποπαθῶς, bibesq; adeò multum ex poculo calamitatis Jer. 25, 15. ut sequatur inde* vomitus ignominiosissimus *ad gloriam tuam, quâ excellebas Jer. 51, 57.*

Bibere.

הֶעֲרֵל

הֶרָעֵל

ex poculo Jehovæ.

Vers. 17.] Nam violentia Libani operiet te, *planeq; pessumdabit Hobadj. v. 10. talisq; crudelitas in te exercebitur ab hostibus, qualis à venatoribus in Libano adhiberi solet consequendæ prædæ, & talis vastitas te occupabit, qualis etiam* ipsas bestias *ibidem* terret, *ita erunt hostes tui similes venatoribus*

Violentia Libani.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746454848/phys_0056
DFG

natoribus feras in Libano summo studio ac maximâ vehementia persequentibus, qui cassibus suis ac plagis te intercipient, & in vastitatem maximam redigent, ut par pari tibi referatur. Confer cap. 1, 15. 16. 17. propter cædes humanas & violentiam terræ, urbis & omnium habitantium in eâ, quæ suprà v. 8. sunt explicata. Alij plerique interpretes, per violentiam Libani h. l. intelligunt illam crudelitatem, quam Libanus, h. e. vel terra Israel tota vastata ut Deut. 3, 25. Ezech. 17, 3. Zach. 11, 1. vel templum, quod ex arboribus Libani ædificatum, & postea à Chaldæis incensum ac spoliatum 1. Reg 5, 6. sensi, quomodo Chaldæus vertit, rapina domus sanctuarij operiet te, & Lutherus, der Frevel an Libanon begangen wird dich vberfallen / vnd die verstörten Thiere werden dich schrecken / quomodo aliàs sæpè in biblijs regnum vel urbs silvæ, & homines arboribus ac feris in eâ degentibus solent comparari. Quamvis igitur hæc non sit absurda expositio, tamen si cohærentiam textus diligentius consideramus, & id, quod tum videretur esse quædam ταυτολογία, quando sequitur, propter violentiam terræ, urbis, melior apparet prius data explicatio, quod sine cujusquam præjudicio & pace tantorum virorum dictum sit. tu, Lector, elige sententiam, cui dicas, tu mihi sola places. Priorem explicationem ita illustrare possunt sequentia, in quibus est talis occupatio.

Libanus varie notat 1. 2. 3.

Vers. 18.] Tu prædicis, fore ut hostes mei non secus me tractant & mactent, ac venatores feras in monte Libano: id verò ne fiat, Dij mei videbant. Respondet propheta, tu autem Deos tuos mihi narras, quorum de vanitate, ut dignum est, dici non potest, siquidem sunt idola, ligna dola a vel ex metallis cõflata, inanimata, muta & mortua, imò mendacia, quâ de re vide plura Es c. 40 & 44. & 46 & sup Jon 2 9. Quid igitur profuerit tibi tale tuum sculptile: nihil quidquã quamvis

Dij Assyriorum vani.

vis *in hunc usum* illud sculpserit formator illius *stultissimus Baruch. 6. & fuderit etiam* fusile, *& omne* docens falsũ *seu mendaciũ, de quo idololatræ falsò sunt persuasi, esse in eo aliquod numen*, quia confidit formator figmenti sui sibiipsi, *cùm fidit simulachris & idolis à se fabricatis, fusis, fictis, pictis*, faciendo idola muta, *quæ non possunt respondere invocantibus Psal. 115, 4, 5. 6. & cum debeant esse* אֱלִילִים *sunt* אֱלִילִים *h. e.* אֱל־אֱלִים *non Dij veri, sed longè infirmiores illis, qui sunt tantùm* λεγόμενοι θεοὶ, *1. Cor. 8, 5. quorum sunt numina nomina tantùm.*

Vers. 19.] *Et hæc est tua idololatria, quod tales Deastros colas: audi jam sententiam Dei veri, qui non dat gloriam suam alteri, nec honorem suum sculptilibus.* Væ *illi, inquit,* qui dicit ligno, expergiscere, *& qui clamat* lapidi silenti *his verbis*, evigila, *& ad meam orationem attẽde, mihiq; manum auxiliatricem porrige, quemadmodũ rectè cum Davide vero Deo dicimus, Ps. 35, 23. O stultitiã hominũ admirandã! ô insaniam deplorandam!* ipsene doceat *te, erudiat, instruat, soletur? quomodo potest, quum spiritu careat, imò potius docet, ac vel tacitus clamat, se silentem, mutum & vitâ vacuũ esse*, ecce *hoc velim saltem cogites, quod vides, videlicet, quod sit ipse* coopertus, *obductus, obtectus* auro vel argento, & spiritus omninò nullus sit in medio ejus.

Frustra invocantur idolæ.

Vers. 20.] *Hactenus de impijs Chaldæis, eorumq; flagitijs ac deastris prolixè, sequitur breviter de pijs Judæorum reliquijs hinc inde dispersis, eorumq; officijs ac vero Deo, per elegantem* ἀντίθεσιν, *quemadmodum idola & simulachra muta nihil efficere possunt, & proinde meritò sunt contemnenda, ita contrà Deus ille omnipotens, qui est in cœlis, ibiq; regnat, omnia potest, gloriam suam in illis severè vindicat, suosq; asserit cultores, omniq; jure colendus ac summâ pietate venerandus est.*

Idola & Deus opponuntur.

Atq;

Atq; ita propheta concionem suam terminat, duo insignia de justis declarans, unum, quod vita eorum ex fide in Christo sit æterna; alterum, quod interea temporis, dum ad complementum omnium promissionum Dei perveniant, ipsorum officium sit, ut Dei judicijs ac castigationibus acquiescant, seq; liberationis certò adventuræ expectatione sustentent. Etsi enim machinabuntur Chaldæi, alijq; Ecclesiæ hostes Judæorum omnimodam internecionem, tamen Deus semper sibi semen quoddam pium servabit, neq; illi prohibere poterunt, quin veniant tandem Dei promissiones, & inprimis illa de Messia restituturo omnia. Nã Jehova, qui promisit, ille Deus fidelis, verax, qui, quodcunq; vult, facit, &, si quid jubet, dictum factum adest, semper est in templo sanctitatis suæ, quod ad regnum potentiæ ac gloriæ in cœlo ipso, quod, velut rex palatium, majestate suâ replet, Psal. 11, 4, & quod ad regnum gratiæ in Ecclesia, cui gratiosa suâ præsentia adest, eamq; sibi curæ esse demonstrat, quomodo, qui ubiq; est, in hoc suo templo peculiari præsentiæ modo esse dicitur, ùt pluribus explicatum est Joel 3, 21. L. C. 4. Quod cum ita sit, verbum Domini de liberatione ex manu Chaldæorum, imò omnium hostium per & propter Christum futurâ factum non excidet, sed suo implebitur tempore. Hujus itaq; tanti Domini veritatem, potentiam & omnipræsentiam reverenter adora, & colito tota rerum machina, sile à conspectu ejus universa terra, tũ omnes habitatores terræ admirantes & suspicientes ejus potentiam, tum inprimis omnes pij hinc inde in tota terra dispersi, veneramini & reveremini ejus erga vos benevolentiam, quam promisit & hactenus præstitit, neq; sinite vos ulla ratione ab ejus promissis abduci, quamvis exitum ex malis non videatis, manum saltem ori apponite & silete, ut solẽt illi, qui aliquẽ observãt & multùm venerantur, ac præ-

Justorum officium.

Deus est in templo suo.

Sile à conspectu Dei.

ac præ reverentiâ coram eo loqui non audent. Confer. Job. 29,9. & 21,5. & 40, 4. Amos 6,10. & 8,3. Soph.1,7. Zach.2,13.

LOCI COMMUNES.

Ex versu 2.]

Petenti dabitur.

I. Respondit mihi Jehova] *Deus nunquam suâ gratiâ & spiritu deest iis, qui per ipsum eruditi cupiunt, nam pulsanti aperietur, petenti dabitur Matth. 7, 7. 8. si cui igitur deest sapientia divina, petat à Deo, qui dat omnibus simpliciter, & dabitur ei Jac.1,5.6. nam Jehova dat sapientiam, ex ore ejus scientia & intelligentia procedit Prov. 2, 6. initium autem sapientiæ timor Domini Psal. 111, 10.*

Scriptura sacra divina.

II. Scribe visionem] *Non novus hic mos est, sed vetus, adeoq; à Deo ipso præceptus, ut non modo verbum ejus vivâ voce proponatur, verùm etiam scriptis per orbem vulgetur, & ad posteros propagetur. Sic mandavit Deus Mosi, ut scriberet Exod.17, 14. Deut. 27, 8. Esa. c. 8, 1. & 30, 8. Jerem. c. 30, 2. & 36, 2. 28. Ezech. c. 43, 11. nostro prophetæ Habacuc hoc loco, Johanni Evangelistæ Apoc. 1, 11. & 14, 13. & 21, 5. qui etiam omnes illud mandatum fideliter sunt executi. Sic Enoch scripsit ante diluvium divinum quoddam oraculum. Jobus c. 19, 23. 24. optat sua conscribi. Apostoli & Evangelistæ in N. T. scripserunt. Et non sine numine, & singulari Dei benevolentia ac providentiâ factum putabimus, quod hoc ultimo tempore ars typographica sit inventa atq; exulta, cujus beneficio multi boni libri possunt spargi in orbem optime & facilime. Neq; abusus hujus artis nobilissimæ, quod sæpè spurca, inutilia, famosa & similia imprimantur, tollit ejus usum. Refutantur vero hinc apertissimè illa dogmata: Verbum Dei in tabulis, & chartis non esse scriptum ex mandato Dei, Deum noluisse pendere suam Ecclesiam à scriptis chartaceis &c. de quo argumento vide quædam apud Bell. l. 4. de verbo Dei c. 4. Adde à nostra parte, quod apostoli jussi sint de Christo testari Act. 1, 8. id autem fiebat etiam scribendo Johan. 21, 24. jussi sunt docere omnes gentes Matt. 28, 19. id quod scribendo etiam fieri poterat Joh. 20, 31. 1. Joh. 2, 1. sic Lucas scripsit Luc. 1, 3. 4. Apostoli Act. 15, 22. 23.*

Ars typographica.

Errores Pontificiorum.

Scriptura est perspicua.

III. Perspicuè seu declarando, ut percurrat lecturus] *Scriptura non est ambigua, incerta aut obscura, sed satis perspicua Psal. 19, 9. & 119, 105. Proverb. 6, 23. 2. Pet. 1, 19.*

Ex ver-

Ex versu 3.]

I. Adhuc visio ad constitutum tempus rejecta est] *Etsi Deus non statim promissionem complet, tamen illa non excidit, quia fidelis est, qui promisit Heb. 10, 23. nostrum est expectare, quod enim differtur, non aufertur, si modò rectè sustinetur. Psal. 17, 13. & 42, 6. & 123, 2. Possideamus in patientia animas nostras Luc. 21, 19. atq; ita diligamus nos ipsos Prov. 19, 8. memores illius,* Dei promissio completur.

Durate, & vosmet rebus servate secundis

Heb. 10, 35. 36 37. 39, & 12, 1. 2. Deus verò solus optimè novit temporum articulos Act. 1, 7. qui non sinet quenquam tentari supra vires 1. Cor. 10, 13. & velut prudentissimus agricola, pro ratione frumenti adhibebit conveniens triturae genus Esa. 28, 24. 25.

II. Neq; mentietur] *Solus Deus est verax semper & infallibiliter, prorsus mentiri nequit Rom. 3, 3. Tit. 1, 2. 1. Sam. 15, 29. 2. Tim. 2, 13. 2. Cor. 1, 20. Apoc. 1, 5. Heb. 6, 18. & 10, 23. & quicquid dicit, existit Psal. 148, 5. & 33, 9.* Dei veritas.

III. Si cunctabitur, expecta] *Firma fide usq; ad finem est perseverandum Matth. 10, 22. & 24, 13. Heb. 3, 14 fido enim usq; ad mortem datur corona vitae Apocal. 2, 10. &, si toleramus, una regnabimus 2. Timoth. 2, 12.* Perseverantia.

IV. Omninò eventura est] *Quaecunq; Deus dicit, omninò complentur Luc. 1, 45. & 24, 44. idq; tam de minis Jos. 23, 14. 15. quàm de promissionibus intelligendum est 2. Pet. 3, 9. quia nullum Dei verbū cadit in terram 1. Sam. 3, 19. imò aeternum est Es. 40, 8. 1. Pet. 1, 25. Matt. 5, 18.* Dei verba implentur.

Ex versu 4.]

I. Ecce ebullat, in quo non est rectus animus.] *Si in scriptura graviter reprehenduntur ὀλιγόπιστοι Mat. 8, 26. & 14, 31. Marc. 9, 19. Luc. 24, 25. quantò magis, qui nullam fidem habent Joh. 16, 9. Rom. 2, 8. Hebr. 4, 11. quia tales Deo fidem derogant velut mendaci 1. Joh. 5, 10. & seipsis confisi, auxiliis q; humanis nixi, velut bulla evanida parumper intumescūt ac percunt Psal. 60, 13. & 62, 12.* Incredulitas.

II. Justus ex fide sua vivet.] *Fidei, quatenus Christum apprehendit cum toto suo merito, duo potissimùm sunt effectus, justitia & vita, quam sequitur statim pax conscientiae, quae non est improbis seu injustis Rom. 5, 1. Duplex n. est fidei justificantis ἐνέργεια altera immediata, pri-* Fidei effectus.

Duplex ἐνέργεια 1. 2.

maria & propria, quâ gratiam Dei in merito Christi apprehendit, ac cũ παῤῥησίᾳ filiali in ea confidit, quomodo cum charitate prorsus nihil quicquam communicat: altera est mediata & secundaria, quâ præcedente justificatione, adoptione & donatione Spiritus S. per alienum sibi conjunctum charitatis habitum foras progrediendo non amplius cum Deo & Christo solùm agit, apprehendendo & accipiendo, sed ad Deum & homines se extendit, operando & sua communicando, quâ tamen posteriori ἐνεργείᾳ fides salvifica non efficitur, sed noscitur Gal. 5, 6. Johan. 13, 35.

Fides salvat,

quibus benè observatis plera q3 Pontificiorum nugamenta de fide formata & informi, &c. circa hunc & similes locos facile corruunt. Si enim ex fide justus vivit, h. e. scripturæ stylo, & inprimis interprete apostolo, æternùm salvatur, satis in se formata est:

non charitas,

si ex fide, non ex charitate, quæ fidem & justificationem sequitur, tanquam fructus & nota, est q3 opus nostrum.

non implicita, aut aliena.

si ex fide sua, quomodo consistet fides implicita, aliena, Ecclesiæ? si a. fides aliena in salutis æternæ negocio non prodest, quomodo aliorum opera? quibus tamen fundamentis doctrina de Indulgentiis, merito operum, & c. nititur, qua de re in disputat. suprà indicata pluribus est actũ.

Ex versu 5.]

Ebrietatis incommoda.

I. Quin etiam vir vini perfidus est & arrogans.] Ebrietas quando hic in Nebucadnetzare, Beltsasare, aliis q3 Chaldæorum magnatib. reprehenditur, in nostris quoq3 regibus, civibus, &c. graviter accusatur, quandoquidem, præterquam quod multa corporis & animæ parit incommoda, iram Dei provocat, ad gravissima flagitia & scelera incitant Pro. 20, 1. & 23, 29. 33. 1. Cor. 6, 10. Gal. 5, 21. Eph. 5, 18. ut probant exempla Lothi Gen. 19, 32 33. Nabalis 1. Sam. 25, 10. 13. ebrietas enim mentem adimit Hos. 4, 11. & qui in delitiis vivunt, vivi mundo, mortui sunt Deo, 1 Tim. 5, 6. Ab hoc igitur vitio graviter dehortandi sunt Christiani à verbi divini ministris exemplo prophetarum Deut. 21, 20. Es. 5, 11. 22. & 28, 1. Joel. 1, 5. Christi Luc. 21, 34. apostolorum, Pauli Rom. 13, 13. 1 Thess. 5, 7. Petri 1. epl. 4, 3. inprimis autem exempla Tragica eorum exaggerentur, qui miserè in ebrietate sua perierunt Philistæorum Jud. 15. Ammonis 2. Sam. 13. Holofernis Judit. 13. Beltsasaris Dan. 5. divitis epulonis Luc. 16.

est reprehendenda.

Superbia est vitanda.

II. Monemur de vitanda superbia & arrogantia, Causæ, ut multa dicam paucis, quæ suadent ab illa desistere, desumi possunt, à persona I. Dei, qui odit, Prov. 6, 17. & 16, 5 ac punit Job. 20, 6. & 40, 6. 7 8. ut multa testan-

ta teſtantur exempla cum ſacra, tum profana. II. *hominum tam ſuæ ipſorum, qui huic vitio ſunt obnoxij, qui ſunt pulvis & cinis* Sirac. 10, 9. *infirmi, debiles; quàm aliorum, qui vel eam ſunt ſectati & miſeris modis perditi, vel eandem averſati & ſalvati.*

III. *Poteſt hic ebrietatis ac ſuperbiæ optimè inſtitui comparatio.* Comparatur ebrietas & ſuperbia, *Primò enim ut vinum immodicè hauſtum calore ſuo æſtuat in ventriculo, vaporibusq; in ſublime aſcendentibus cerebrum perturbat, cum ratione pudorem auſert, totumq; corpus mirificè debilitat: ita ex corde ſuperbi ſpiritus exæſtuantes mentem pravis perſuaſionibus efferant, ut quidvis ſine omni ratione ac pudore conetur. Deinde ut ebrietas potius ſitim accendit, quàm exſtinguit: ita ſuperbia, quò plures honores opesq; habet, eò plures appetit, & nunquam ſatiatur, ſicut exemplo ſuo probat Alexander Magnus, de quo Poëta,* I. 2.

Unus Pellæo juveni non ſufficit orbis.

Deniq; ut ebrij varios morbos, & ſæpè mortem præproperam ac æternum exitium ſua intemperantia ſibi accerſunt: ſic ſuperbi ſibiipſis pericula creant, & ruinam attrahunt. 3.

IV. Cum dilatet velut ſepulchrum animum ſuum, ſitq; velut mors, quæ non ſaturatur, & recipiat ad ſe omnes gentes.] *Ex dominandi libidine à protoplaſtis malè affectata, & hinc nobis omnibus innata eſt hoc, velle* Diabolica arrogantia.

Αιὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

id quod ſolius Dei verè παντοκράτορος & eſt proprium: ex inſtinctu autem Diaboli ſibi falsò omnia tribuentis, ex ſuperbia id appetiverunt plures dynaſtæ, ut Sennacherib, Nebucadnetzar, &c. Vide & expende hæc loca Gen. 3, 5. Deut. 17, 20. 2. Cor. 6, 18. Apoc. 19, 6. 15. Matt. 4, 8. 9.

Ex verſu 6.]

I. Annon iſti omnes populi parabolam de eo proferent?] In morte malorum lætantur boni. *De bono juſtorum exultat urbs, & cum pereunt improbi, cantus exercetur* Prov. 11, 10. & 28, 12. 28. & 29, 2. *Exempla ſunt in Pharaone* Exod. 15. *Siſera* Jud. 5. *Goliatho* 1. Sam. 18, 6. *Gorgia* 1. Macb. 4, 24. *Nicanore* c. 7, 48. *Herode* Act. 12, 24.

II. Væ multiplicanti non ſua.] *Avaritia cuncta ad ſe per fas & nefas rapiens tanquam radix malorum omnium graviter à Deo damnatur* 1. Tim. 6, 5. 9. 10. *ut ſuprà aliquoties ex ſcriptura probatum eſt* Amoſ. Avaritia.

2,7. & 4,1. & 5,11.12. & 8,4. Mich. 2,2. & 3,5.11. & 6,11.12. Nahum. 3,1.

opum usus, III. Aggreganti densissimum lutum.] *Usus opum pius & bonus esse potest, si juxta divinum præscriptum administrentur: hominum autem vitio fit noxius, unde ipsæ spinis Matth. 13, 22. & hic luto comparantur, quæ etiam satis apta similitudo est, Ut enim I. lutum pedes progressuri detinet, & iter impedit sic nimium opum studium animos remoratur, ne ad regnum Dei pergant alacriter. II. Ut lutum inquinat: ita opum mala administratio conscientiam maculat. III. Ut lutum grave est & deprimit: ita avaritia in hac vita*

collatio cum luto
1.
2.
3.

Sternit humi divinæ particulam auræ,

ne possit cogitare, quæ sunt homine aut Christiano digna, & post hanc vitam ad infernum detrudit: quin etiam sollicitudo illa, quæ circa opes est parandas, & conservandas ferè est intolerabilis.

Ex versu 7.]

Dixit, & facta sunt. An non repentè consurgent, qui mordeant te?] *Cum Deus emittit sermonem suum in terram, quamcelerrimè excurrit, efficiturq; verbum ejus Psal. 33. 9. & 147, 5. & ille est, qui bella advocat. Vide Obadj. v. 1. L. C. 4.*

Ex versu 8.)

Pœna talionis. Quia tu spoliasti.) *Quæ hic de pœna talionis dici poterant, suprà aliquoties explicata sunt prolixius Psal. 7, 15. 16, Joel. 3, 4. 8. Amos. 3, 11. Obadj. 1. L. C. 5.*

Ex versu 9.]

Rapacitas magistratus I. Væ dedito quæstui malo.] *Rapacitas in magistratu, subditorumq; expilatio hic taxatur, quæ licet vulgatissimum sit inter magnates vitium, tamen magnas pœnas, temporales & æternas, certo attrahit, ut legere est Prov. 22, 23. Mich. 2, 1. 2. 3 4. Ezech. 22, 27. Exemplo sit Achab & Jesebel 1. Reg. 21, 19.*

Ædificatio palatiorum. II. Ut disponat in excelso nidum suum, quò eripiatur è potestate mali.) *Ædificatio magnorum palatiorum ex opibus per violentiam partis, aut per nefas, exactionesq; injustas subditis detractis displicet Deo. Deut. 28, 30. Esa. 5, 8. 9. Mich. 2, 2. 3. & 3, 1. 2. 3. Job. 20, 15. 10. 20. 21 22. & 24, 8. 9. 10 qui etiam fiduciam, quæ in munitis istis collocatur arcibus, ferre non potest. Obadj v. 3. 4. quò spectat illa Hieronymi observatio in cap. 11. Hos. & cap. 4. Ierem. Cum legimus impios ædificare,*

urbes

urbes pios sæpè juberi, ut evertant, puta, quando in illis collocatur fiducia, qua de re gravissimum nostri Lutheri extat judicium in cap. 35. & 36. Genes. Confer. Gen. 4, 17. 1. Reg. 16, 26. Psal. 46, 3. 4. 2. Chron. 32.

Ex versu 10.

Consilium iniisti pudendum, & peccasti contra teipsum.] Improbi sibi nocent.

Ex mirabili Dei gubernatione labor improbi redit in caput ejus, & super verticem ejus descendit ipsius injuria Psal. 7, 15. 16. 17. Prov. 1, 18. 19. quod etiam naturæ luce agnoverunt Ethnici, teste Hesiodo,

Οἱ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ, ἀλλῳ κακὰ τεύχων,

& Seneca: sæpè in magistrum scelera redierunt sua.

Ex versu 11.]

Lapis è pariete clamat.] Creaturæ accusant malos.

Omnes creaturæ contra improbos homines ijs abusos perhibent in judicio divino testimonium Rom. 8, 19. 20. 21. 22. ubi observanda est illa gravissima D. August. sententia ex tract. 24. in Johan. Creaturæ omnes suam habent linguam, beatus, qui audit vocem creaturæ admonentis, quâ dicit: vide homo, quomodo amaverit me & te, ne audire aliquando in judicio cogatur vocem comminantis, quâ dicet ad impios ignis à me comburatur, aqua in me submergatur, terra & infernus à nobis deglutiatur.

Ex versu 12.]

Væ ædificanti civitatem cædibus.] De locis communibus, qui ex hoc versu erui poterant, vide supra v. 8. & 9. & Mich. 3, 10. 12.

Ex versu 13.

Ecce à Jehova est, quod populi laborent pro inanitate.] sine Deo omnia vana.

Frustrà laborant ædificatores domus, nisi Dominus adsit Ps. 127, 1. 2. Nam cui ipse benedicit, benedictus est, cui maledicit, maledictus est Num. 22, 6. &, si ille non annuit clementer, omnia sunt vanitas vanissima, & nihil emolumenti est homini ex toto labore suo, quo laborat sub sole Eccles. 1, 2. 3. ecquid emolumento est ei, quod laboraverit vento c. 5, 16.

Ex versu 14.

Impletur terra cognoscendo gloriam Jehovæ.] Ex pœna improborum augetur Dei gloria.

Quando pro merito puniuntur obstinati improbi, Dei nomen extollitur, ac gloria ejus, longè latèq; divulgatur Psal. 52, 8. & 55, 5. 6. 10 12. & 58, 2. 10. 11. 12. & 61, 3. 9. & 63, 12. & 64, 9. 10. 11. & 68, 36. & 71, 23. 24.

Ex versu 15.

Ebrietatis mala. Væ potum præbenti proximo suo, & inebrianti, ut intuearis nuditatem eorum.)

Ebrietas quid non designat?

iram Dei provocat, dum VÆ illis denunciatur, qui sunt illi dediti Amos. 6,3.6. Es.5,11.13. & 28,1. Dan.5,2, Joel.1,4.5. 1.Cor.6,10. mentem alienat Prov.23,31. Sir 19, 2. Hos.4, 11. ad libidinem incendit Prov.20, 1. Eph. 5,18. testantur hoc exempla Gen.19,32. 1.Cor.10,7.8. Luc.17,27. Rom. 13. 13.14.

Ex versu 16.

& pœna. I. Saturaris ignominiâ præ gloriâ.) *Eadem ebrietas exscidij causa est Es.5,11. 13.14.15.22.24.25. exscidij tam spiritualis, ut homo excludatur in hac vita ex regno gratiæ per excommunicationē 1 Cor.5, 11. & post eam ex regno gloriæ Luc. 21, 34. 36. 1.Cor.6, 10. quàm corporalis Prov.23, 29. 30. hæc enim stomacho cruditatem inducit, epar accendit, pulmones dissolvit, corpus totum tremore concutit, caput rotat vertigine, pedes labefactat, quibus adde oculorum lippientium rubedinem, anhelitus fœtorem intolerabilem, acutissimos calculi dolores, lentos ac ingentes podagræ ac chiragræ cruciatus, aquæ intercutis fluxum fœdum &c. vino nimio perit memoriæ thesaurus, hebetatur rationis acumen, & deniq; ut*

Bacchi effigies. *uno verbo dicam omnia, ipsa ebrietas est VOLUNTARIA INSANIA, ut scribit Seneca epistol. 84. quem vide. Etiam Bacchi effigiem à veteribus sapienter propositam explica. Ipse inequitat ASINO, ecce oculi rubent ac lippiunt, vide os distortum, labra pendula, considera genas flaccidas & inflatas tamen, nota manus tremulas, ecce protuberans venter, seu verius aqualiculus, pedes tumidi & contracti, ad incedendum inhabiles, totum corpus beluinum potius quàm humanum. Elegans igitur figura oris hominis ebrij! qui ratione non absimilis asino, & toto corpore ferè monstrū.*

Luxuriæ pœna. II. Et vomitus ignominiosus ad gloriam tuam.) *Quando bona in maximum luxum consumuntur, proximum est, ut gloria eorum hominum convertatur in ignominiam justo Dei judicio Dan.5,4.30. Es. 3,16. Psal.49,13.21. Phil.3, 19.*

Ex versu 16.

Pœna talionis. Violentia Libani operiet te.) *Ipsa justitiæ divinæ regula flagitat, ut quâ mensurâ quis mensus fuerit, eadem illi metiantur alij Matt.7, 2. & sicut quis fecit, faciant ei alij Jer.50,17.15.18. & si quis in captivitatem ducit, in captivitatem abibit, & si quis gladio occiderit, oportet*

eum

eum gladio occidi Apoc. 13, 10. quod dictum unicum in N. T. occidendos esse à magistratu politico homicidas, contra Photinianos, id negantes probari potest facilimè.

Ex versu 18.

Quid profuerit sculptile.) *Vanitas idolorum h. l. declaratur, de quâ jam antè aliquoties Jon. 2, 9. Nahum. 1, 14. Mich. 5, 12. 13. 14. Confer cum hoc loco Jer. 51, 47. 52. Ezech. 20. 30. 32.* Vanitas idolorum.

Ex versu 19.]

Idololatræ tandem cum suis idolis pereunt, sicut ijsdem in locis in superiori L. C. citatis docetur, quibus adde Deut. 4, 25. 26. & 8. 19. 20, Jer. 5, 15. Deut, 28, 15. Levit. 26, 14. Es 1, 29. Jer. 1, 16. Amos 4, 13. Apoc. 14, 8. eorundem stultitia & stupor mirandus hic indicatur, quemadmodum 2. Chron. 25, 15. & 28, 23. Psal. 115, 8, & 135, 6. Es. 44, 8. & 45, 20. Jer. 51 7. Hos. 8, 6, 7. Baruch. 6, 7. sunt autem etiam idololatræ, qui vel sibi ipsis vel alijs creaturis confidunt nimium Sap. 1, 16. Idololatræ pereunt.

Ex versu 20.]

I. Jehova est in templo sanctitatis] *Deus in cœlo habitat per majestatem & gloriam, in Ecclesia gratiosè per verbū & sacramenta. de illa præsentiâ vide Ps. 2, 4. & 113, 5, & 123, 1. Es. 33, 5. & 57, 15. Apoc. 7, 15. & 21, 3. de hac loquuntur dicta Exod. 24, 16. Deut. 4, 7. 2. Sam. 7, 5. 6. 1. Reg. 6, 13. & 8, 12. 27. Psal. 9, 12. & 132, 14. & 145, 21. Eph. 3, 17. Rom. 8. 9. 11. 1. Cor. 3, 16. 2. Tim. 1, 14. Jacob. 4, 5.* Dei habitaculum.

II. Sile à conspectu ejus ô universa terra] *Omnes creaturas decet, ut reverenter colant suum creatorem illiq; sint subditæ: inprimis verò homines, in quos tanta ipse congessit beneficia, in creatione, redemptione, sanctificatione, quâ de re hinc inde in scriptura. Ex multis locis brevitatis ergò nunc nobis sufficiant hi pauculi Ps. 67, 4. 6. 8. Job. 38. 7. Prov. 20, 12. Psal. 33, 8. 9. & 95, 6. Actor. 4, 24. & 14. 15.* Reverentia Deo debita.

CAPUT TERTIUM.

ARGUMENTUM.

EST insignis precatio, quam propheta de calamitatibus Ecclesiæ Dei impendentibus certior factus in usum ejus, singulorumq; fidelium ipsius membrorum dictavit, in quâ infirmita- Summa.

firmitatem ſuam confeſſus, ſalutem ac ſubſidium in iſtis calamitatibus à Deo anxiè petit, oſtendens, quibus pios inniti oporteat fundamentis, Dei miſericordia & promiſſionum veritate ſe confirmat, utramq; mirabilium operum à Deo majoribus præſtitorum recordatione probat, & tandem ſe quoq; ijs fretum in medijs malis in Deo ſalvatore ſuo liberationum ejus certa concepta fiducia exultaturum concludit.

Analyſis. Partes tres.

Partes hujus orationis præter titulum ſive inſcriptionem v. 1. contentam ſunt tres: prophetæ poſtulatio, argumentorũ, quibus eam ſe obtenturum ſperat, narratio, & hinc nata fidei gloriatio.

I. Poſtulatio.

Prima pars, poſtulatio ſive petitio continet propoſitionem, quâ rogat Deum auxilium, ut ſervet ſuum populum, neq; ſtricto jure cum eo agat. Habet verò duo, occaſionem poſtulati, videlicet timorem, quo ex revelatione malorum fuit perculſus Habacuc, & poſtulatum ipſum populi captivi v. 2.

2. Argumentorum narratio.

Secunda pars argumentorum, quibus fides de petitionis certo complemento certioratur, narratio, habet Confirmationem. Argumenta ſunt duplicis generis, prius à divinis operibus, poſterius à promiſſionibus. In priori eſt primum demonſtratio gloriæ majeſtatis Dei, tum toti populo Iſraelitico ſpectatæ, præcipuè in monte Sinai in promulgatione legis, & Ægyptiacis plagis v. 3. 4. 5. tum populis exteris v. 6. 7. propterea verò inſtituta, ut oſtendat, cùm Deus tam potens ſit, facilè eum poſſe, ſi velit, ſuos ex captivitate eripere. Deinde ponitur operum Dei exornatio à ſingulari narratione rerum, mirificè à Deo in ſalutem ſui populi, ejuſq; hoſtium perniciem geſtarũ & in omnibus fermè elementis, tam in aquis maris rubri & Jordanis diffiſſis, non propter ullam ſuam culpam, aut Dei in eas iram v. 8. ſed propter liberationem populo Dei in fœdere cũ Abrahamo inito ac juramento confirmato promiſſam v. 9. 10. quàm in cœlo v. 11. & terrâ, ubi exaggera-

aggeratur potissimũ, quod Deus in familia Davidis regnum constituit, & per illum regem hostes reliquos ex terra promissa profligavit v. 12.13.14.15. Posterius argumentum est à promissionibus Dei pios ab omni hostium metu (quo perculsi primũ fuerant) liberantibus v.16. Tertia pars est orationis hujus conclusio à gloriatione fidei in medijs malis v.17. exultãtis in Deo salvatore suo v.18. cũ ipse sit robur infirmorum v.19. 3. Conclusio.

Magis populari ratione alij inter mediam partem ita proponũt, ut dicant, enumerari in eâ octo stupenda Dei miracula antea in populi sui auxilium & hostium interitum patrata, quorum I. in genere, potens & miranda Israelitarum ex Ægypto eductio v.3.4. II. in specie, Ægyptiorũ, peste, grandine, fulguribus facta afflictio v.5. III. terræ Canaan inter tribus Israel divisio, gentiumq; in eâ habitantium expulsio v.6. IV. terræ Chusan & Midian per populi Israelitici judices Othonielem & Gideonem instituta perturbatio & afflictio v.7. V. iræ divinæ in Pharaone ejusq; exercitu declaratio, mirabilisq; Israelitarũ salvatio v.8.9.10. V. Solis & Lunæ statio v.11. VII. Cananæorũ totalis deletio & terræ sanctæ occupatio v.12. VIII. populo Israelitico per Davidem præstita liberatio v.13. Populiaris dispositio.

PARS PRIMA.

Vers. 1.] Hactenus prophetæ nostri concio seu duplex Quæstio, & Dei ad eam data responsio seu prior pars generalis hujus vaticinij: sequitur posterior, videlicet pathetica ejusdem oratio, in quâ pleriq; veterum patrum, sicut & multi recentium pontificiorum interpretum existimant agi de primo Christi adventu in carnem, vide præter alios Augustin. lib. 18. C.D. c. 32. & Riberam in Commentario in hanc sententiam adornato, ubi citat plurimos; mihi autem ejus scrinia compilare, & inde magna conficere Commentaria est religio, qui non specto meum lucrum potius, quàm lectorum profectum. Non agitur hic de Christi adventu primo, nec postremo.

fectum. Alij putant, quod loquatur de adventu Christi postremo ad judicium ex remum, cujus majestas hic describatur. Verùm si rem attentius consideramus, apparebit, quod potius propheta Deum solitæ suæ misericordiæ, liberationis & auxilij commonefaciat, dum gloriam in miraculis ostensam, & robur sæpè contra hostes populi sui exercitum explicat, & proinde his nunc quoq; in reprimendis Chaldæis Deum usurum certâ spe præsumit, & in fide exultat.

Occasio hujus cantici.

Idem ostendit occasio data Habacuc, ut scriberet hoc Canticum, nempè cùm ex revelatione divina multas calamitates instare pijs populi sui requijs unà cum improbis, cognovisset, cùm suo ipsius, tum eorum nomine se ipsum coram Dei judicio q. reum sistit, culpam agnoscit, pœnam deprecatur, quũ eâ valde esset consternatus, & in medijs hisce angustijs oratione hanc fundit, eamq; afflictis q. formulã præscribit, quâ ipsi deinceps utantur in afflictionibus, orantes, ne Deus cum ipsis agat secundum delicta, neq; secundum peccata ipsis retribuat, sed memor pristinæ clementiæ populo suo in miraculosis liberationibus sæpè declaratæ idem nũc quoq; faciat pro solitâ suâ misericordiâ. Conscripta autem est hæc oratio ad imitationem Psalmorum Davidicorum, id quod testantur voces in eâ repertæ Psalmis illis peculiares, ut videre est v. 1. 3. 19. ut quemadmodum argumento cũ ijs convenit, sic quoq; stylo non discrepet, quam ob causam etiam titulum, qui argumentum & scopum ostendat, præfigit, qui est: Oratio Habacuc prophetæ secundum odas mixtas. Oratio & quidem illa, si ἔμφασιν vocis hebræ תְּפִלָּה (de quâ pluribus dictum est Psal. 4, 2.) spectes, quæ fit per mediatorem coram judice, quomodo hic indicatur hanc precationem esse talem, quam παράκλητον ἡμῶν Christus 1. Joh. 2, 1. & Spiritus Sanctus Johan. 15, 26. Rom. 8, 26. cum pio corum Dei tribu-

Forma.

תְּפִלָּה

tribunali fundãt, quò nõnulli ſolent trahere illud loquẽdi genus, quod hic quoq; videmus eſſe adhibitum, quodq; in titulis Pſalmorum Davidicorum eſt frequens תְּפִלָּה לַחֲבַקּוּק i. e. oratio Habacuco, ſcilicet dictata à Spiritu Sancto, quanquã etiam ſimpliciter illud rectè explicari poteſt, oratio Habacuci tanquam Spiritus S. amanuenſis, vide titulum Pſalmi 3. & de varijs interpretationibus vocis hebrææ שִׁגְיוֹנוֹת titulum Pſal. 7. Nam quod eam plerique hic vertunt & acriter defendunt, pro Ignorantijs, non habebit locum, ſi argumentum orationis perpendas diligentius. Non enim peccatorum ex ignorantiâ commiſſorũ petit veniam. Quin etiam ignorãtiæ ſeu peccata per errorem & ignorantiam commiſſa appellantur שְׁגִיאוֹת Pſal. 19, 13. non illo nomine, quod hic extat & in tit. Pſal. 7. Radix autem, unde deſcendit, ſignificat erravit, quocunq; modo, etiam ita ut ſe quis oblectet Prov. 5, 19. & 20, 1. id quod ad noſtram explicationem benè quadrat. Alij verò, qui paſſivè explicant, de ignorantijs i. e. de rebus, quas non capit humana ratio, exemplo deſtituũtur, cum ſemper activè uſurpetur. Deniq; (ut mittamus multas expoſitiones alias leviores) qui contendunt, deſignari eâ, multâ curâ elaborata carmina, cum שִׁגָּה inter alia ſignificet, multus in re fuit, à nobis non admodum diſſentiunt. Propterea enim quod ex varijs carminum generibus hæc oda conſtat, multam curam adhiberi in compoſitione ejus omninò neceſſe fuit. Ex his quoq; quid de illâ Lutheri verſione ſtatuendum ſit, liquere putamus, quando habet, Für die Vnſchüldigen. Neq; n. ſi quis literam ipſam præfractè urgeat, eſt in textu hebræo concretum, ſed abſtractum, neq; propriæ vox hebræa innocentiam (quæ denotatur voce נְקִיּוֹן Pſal. 26, 6.) ſignificat: ſed ſuo conſilio gravi græcos interpretes potius ſic, quàm apices textus hebræi ſecutus in titulo ita reddere voluit,

לַחֲבַקּוּק

שִׁגְיוֹנוֹת

שְׁגִיאוֹת

Lutheri verſio conciliatur.

voluit, ut eum explicaret melius ac facilius. Atq; ita sensus argumenti expresso, cura ei de verbo ipso non fuit. Est enim hæc oratio pro pijs, & respectu aliorum extremè malorum, innocentibus à propheta fusa atq; scripta. Lutherum igitur hic quoq; ut aliàs sæpissimè, potius bonum interpretem,

qui verbum verbo non curat reddere,

in linguâ aliâ, quàm metaphrasten egisse credimus.

Summa orationis. *Vers. 2.*] Hæc de titulo sufficiant dicta hoc loco: Porrò oratio ipsa primùm summam postulationis proponit, ut Deus in præmonstratâ mundi perturbatione, atq; horribili calamitate suorum fidelium misereatur. Argumenta desumuntur ex persona afflictorum, quia sunt opus ejus, & Dei, cujus natura illa est, ut nec in irâ misericordiæ prorsus obliviscatur. Postulationis verò occasio est timor, quo Propheta ex revelatione malorum fuit perculsus, isq; his verbis indicatur.

Argumenta ejus.

O Jehova, audivi auditionem tuam, *pronunciatum & rumorem de pœna, quâ nos decreviſti afficere, quomodo* שָׁמַע *passivè sumitur, ut* ἀκοή *apud græcos (vide quæ dicta sunt Obadj. v. 1. Nahum. 3, 19.) & ex quo audivi, commoveor, horresco, metuo, vereor & timeo, ut possimus in tantis malis subsistere, qui tamen sumus* opus tuum, *& periculum esse videtur, ut salvi in captivitate permaneamus, atq; ex eâ revertamur: te verò rogamus, tu* in medio annorum *captivitatis, quamdiu illa durat, interea temporis, Luther.* mitten in den Jahren/ zu rechter zeit vnd mitten in der Noth/ *hoc tuum opus, hunc tuum populum* in vita conserva *& recrea,* ne pessum eat. *Ut enim mors omnis generis mala in scripturis denotat, sic vita omnia bona,* interea temporis *tu apud exteros magnificis operibus, tum apud tuos salutari verbo* notum fac, *te misereri tuorum, ex misericordia postulatum hoc comple* in *justa* irâ *(quæ est apud homines commotio)*

Mors, vita.

propter

propter peccata nostra, ex qua oritur afflictio (quod Luther. exprimit, wenn Trübsal da ist. *Quando n. Deus iratus est, statim adest calamitas)* misereri recordare, *fac experiamur, quanta tua sit clementia, quomodo, quando Deus ipso demonstrat opere, sibi rem quandam esse curæ, quam eũ non admodum curare existimabant homines, recordari ejus dicitur Gen. 8, 1. & 9, 15. & 30, 22. Exod. 6, 4. Quod verò Lutherus b. m. hæc pleraq; assertivè vertit, huic interpretationi nõ obstat (uti non nemo arbitratur) sed potius eandem confirmat. Nam qui ex fide vera petit, vivifica, notum fac, recordare, ille certa spe plenus dicere rectè potest,* du machst lebendig/du lessest kund werden / du gedenckest. *Græci a. Interpretes, ut sæpè aliàs, hîc non tantùm legerunt perperàm, sed & barbarismum in sacra lingua commiserunt maximum vertentes,* ἐν μέσῳ δύο ζώων, *in medio duorum animalium cognosceris, dũ pro* שְׁתַּיִם שָׁנִים, *pro* חַיּוֹת חַיֵּיהוּ *supponunt. Neq; eos excusabit quisquam, quod ob mysteriũ ipsis revelatum ita reddiderint, quod videl. Christus (de quo totam hanc orationem qui explicant, miserè torquent textũ) sit appariturus & videndus (1) vel inter duo Testamenta (2) vel inter duos latrones in cruce (3) vel inter duos colloquentes cum ipso in monte, Mosen & Eliam, quando transformabatur, ut August. l. 18. C. D. c. 32. explicat, vel (4) quod Riberæ valdè placet, quòd Ecclesiæ ex traditione Christus Bethlehemi natus in stabuli præsepio inter duo animalia bovem & asinum, sit agnitus. In textu enim fundamentali cum ista non habeantur, nec ulla scripturæ analogia possit dari, imò ei pleraq; repugnent, nec aliàs hæc ultima Riberæ probata commenta certa sint, meritò ab ijs hoc loco recedimus, & Jesuitæ Riberæ dispiciendũ esse dicimus, quomodo à vulgata sua latina versione Canonicâ pontificijs (quæ habet, in medio annorum notum facies) possit*

Deus recordatur.

Græci hic errãt.

Quæ duo animalia,
1.
2.
3.
4.

recedere: nos autem missis his nugis & conjecturis ejus incertis ad textus explicationem revertimur.

LOCI COMMUNES.

Ex versu 1.]

Preces asylum. I. Oratio Habacuc.] *In omnibus malis tutissimum asylum hominis pij est oratio Psal. 120, 1. Prov. 18, 10.*

II. Secundum odas erraticas] *In precibus requiritur attentio & ardor Matth. 6, 6. 7. Jacob. 5, 16.*

Ex versu 2.]

Prædicantur mala, ut caveantur, I. O Domine, audiens pronunciatum tuum.] *Deus prænunciat futuras clades, ut homines eas caveant, nec temere eas accidere censeant Amos. 3, 6. 7. Propone exemplum Davidis Ps. 6, 4. 7. 8. & 38. 3. 4. 2. Sam. 12, 13. & 24, 10. 14. 17*

& Deus metuatur. II. Timeo.] *Finis & utilitas comminationum divinarum est, ut timeamus iram ejus & peccata nostra agnoscamus atq; deploremus, exemplo Ezechiæ Esa. 38, 14. 16. 17. Ninevitarũ Jon. 3, 5. Corinthiorũ 2. Cor. 7, 11.*

Ecclesia opus Dei. III. Opus tuum vivifica.] *Ecclesia & omnia ejus membra sunt opus Dei, quod ipse fecit & diligenter conservat Ps. 100, 3. & 90, 17. & 138, 8.*

Oratio nititur Dei misericordia. IV. In commotione iræ misereri recordare.] *Fundamentum omnis orationis Deo placentis est misericordia Dei gratuita, & ad hunc semper est recurrendũ, & simul optima hæc est consolatio, quod Deus etiã in ira recordetur misericordiæ. Exempla illius rei extant innumera cũ in Psal. 6, 5. & 9, 10. 11. & 25, 6. 7. & 51, 3. & 103, 6. 7. 8. 9. & orationibus sanctorũ in V. T. Exod. 32, 11. 12. Num. 14, 17. Es. 12, 1. Jer. 14, 7. Thren. 3, 55. Dan. 3, 89. 90. & 9, 6. 16 Hoc probatur Ps. 30, 6. Jac. 2, 13 accedamus igitur cum fiducia Heb. 4, 16. & 10, 19. 22. 23. quia in silentio & spe erit fortitudo nostra Esa. 30, 15. Deus enim non ex corde afflixit suos Thren. 3, 33. miserens miseretur illorum Jer. 31, 20. & malo ablato, delectatur illis benefacere Jerem. 32, 41.*

SECUNDA PARS.

Vers. 3.] Hic primùm deductio Israelitarum miraculosa, & promulgatio legis cum majestate maximâ facta describitur, unde Dei potentia satis elucet Deus, inquit, תֵּימָן *i. e. ex au-*

ex austro seu meridie venit. *Omnis enim australis regio respectu terræ sanctæ dicitur Theman, ut scribit Hieronymus in locis hebraicis, puta, quia ad dextram mũdi partem jũxta scripturam sita est. vide in Amos 1, 12. Obadj. v 9. &* Sanctus *ille Israëlis, Deus ipse, unde omnis Sanctitas, Sup. 1. 12.* è monte Paranis, *monti Sinai contiguo, qui est in deserto Pharan, quod occupaturi terrã sanctam peragrarunt Israelitæ Num. 10. 11. 12. 33. & 12, 1. & 13, 27. Deus populum suum ex servitute Ægyptiaca liberaturus Mosi apparuit in regione Idumæorum ad montem Horeb, & deinde eum cum populo per montosa Seir deduxit in terram promissionis. confer Deut. 1, 2. & 2, 1. & vide duo loca Deut. 33, 2. Jud. 5, 4. ad quæ alludit hic propheta. Hoc cum dixisset, subjicit* סֶלָה, *quæ dictio aliàs non occurrit in biblijs, nisi in psalterio & in hoc cantico. De cujus variâ explicatione & verâ significatione dictum est satis prolixè in enarrat. Psal. 3. pag. 69, 70. ubi, si placet, videri possunt. Addantur nunc saltem illa, quod à sententia ibidem approbatâ non procul abeat Hieronymus in epist. ad Marcellam. Ut solemus, inquit, nos completis opusculis ad distinctionem rei alterius sequentis medium interponere,* Explicit *aut* Feliciter. *ita Hebræi, ut quæ scripta sunt, roborentur, facere solent, ut dicant Amen, aut in sempiternum, aut Sela. In eandem sententiam satis benè scribit Ribera in hunc locum Num. 23. Existimo, ubicunq; ponitur Sela cantores paululum quiescere solitos, ut quoniam non nisi post insigniores sententias ponitur, auditores quiescentes, rei illius gravitatẽ & magnitudinem considerarent, aut, ubi optantis vox est, ore & votis faverent, simulq; hoc cum Psalte optarent. Hoc loco igitur id notat vox ista inserta, summâ esse hoc consideratione dignum, quod Deus ita è Theman venerit, & è monte Paranis; subjicitur ratio, quia eo tempo-*

Desertum Paran.

סֶלָה

Hieron.

Ribera.

תְּהִלָּתוֹ

pore operuit cœlum *ipsum* decor, *& majestas ejus*, & laus ejus implevit terram, *quomodo vocem* תְּהִלָּתוֹ *in vulgata significatione potius placet accipere, quàm cum Junio, Drusio, aliisq; pro luce, quorum ratio hic non militat, quod verbum, unde descendit, in Hiphil splendere significet Job. 25, 5. & 29, 3. & 31, 26. & 41, 9. Esa. 13, 10. primum, quia nomen nunquam ita usurpatum legitur in biblijs: deinde esset* παυτολογία *hoc loco, cum sequenti versu agitur de luce seu splendore Dei.*

Vers. 4.] *Sic enim pergit propheta, dum ostendit, quod Dei majestas ac potentia sit infinita, & rebus omnibus formidabilis, quia splendor ejus, dum fulgura illustrabant cœlum & terram, nullius creaturæ oculis aspici potuit Confer Exod. 19. 16. Psal. 18, 77. Hebr. 12, 18.* Nam splendor *tanquam* ipsius lucis *i. e. Solis, qui* καὶ ἐξοχὴν *ita dicitur, ut Job. 31, 26. & 37, 20. vide 2. Cor. 3, 7. 13. & hoc malim, quàm per cornua hoc loco intelligere Dei robur, quod aliàs scriptura figurat cornibus. Hic enim de splendore agi liquidum est, in quo fuit robur absconditum, non autem hic revelatum, ut sequentia explicant. Ille enim splendor non erat ipsa Dei essentia, sed potentiæ illius mirandæ velamen, symbolum, integumentum, indicium, ut aliàs in luce inaccessa Deus se ostendit, eamq; inhabitare dicitur Exod. 33, 22. Psal. 18, 11. & 104, 2. 1. Reg. 10, 11. 1. Tmoth. 6, 16. Quamvis enim glorioſissimè coram suo populo appareret in splendore lucidissimo, tamen ne sic quidem explicabat totam majestatem ac potentiam suam, sed potius radijs quibusdam velut umbraculis obtegebat, ne illa in se spectata creaturas absorberet penitus. nam* ibi erat absconsio roboris ejus, *ita tamen ut effecta ejus toti hominum generi, inprimis verò tum Ægyptijs metuenda.*

Lux i. e. Sol.

Deus habitat in luce.

Vers.

Vers. 5.] Anteivit eum pestis, & præcessit anthrax *carbunculus seu* καῦσις, ad pedes ejus, *quibus ipse, cum venit iratus improbis, velut armis lethalibus, est circummunitus, ut judicia sua arbitratu suo præstet, quocunq; pergit.* Dei apparitores *Descriptio autem hæc à regibus mundanis desumpta est, qui, cùm urbem ingrediuntur magnificè, antecedunt eos multi servi à pedibus seu anteambulones: sic pestis & morbi acutissimi sunt apparitores Dei, qui ipsi astant,*

& Deus irritatus ab irâ

Quò-vertet se cunq;, pedum hæc vestigia cernas.

Vide & expende Exod 9, 3.6.23.24. Psal. 78, 48. Sap. 16,10. Num 14,12. pestis autem hic benè dicitur דֶּבֶר *quia peculiari decreto numinis, peccata hominum per eam punientis, non fortuitò accidit, quomodo* דֶּבֶר *sæpè significat, decrevit. Qui verò & ubi in biblijs alterum vocabulum, quod inflammationem & morbum ardentissimum denotat, videlicet* רֶשֶׁף *significet diabolum, vulgatæ versionis latinæ patroni nobis ostendant, siquidem, quam Ribera habet h. l. Num. 27, 28. Hieronymi (si modò ejus est) incerta conjectura, nihil probat, cum petat principiũ, quod sit ille ipse dæmon, qui principatum tenet inter alios, quiq; in paradiso locutus est mulieri, & ex maledictione Dei accepit nomen, cùm* רֶשֶׁף *sit repens ventre. Falsissimum enim hoc est, & forte am illud cum* רֶמֶשׁ *confundit. Ut taceam, non unum dæmonem ibi esse reprobatum in Genesi, sed etiam totum ejus semen.*

Vers. 6.] *Et illa mirabilia visa sunt in Ægypto ac deserto: sequitur ipsa populi Israelitici in terram promissam introductio, ejusq; divisio, in quâ notanda & Dei decretum, ac autoritas, & vires, qui solo visu perterrefecit gentes bello asperrimas. Nam* ubi *in terra Canaan* constitit *Deus, cujus numen præsens erat ad arcam,* terram, *quam populo suo*

in hæreditatem attribuit, mensus est *per suos ministros Mosen, Josuam, &c. qui ipsius jussu eam Israelitis funiculo diviserunt Num. 32. & 34. cap. Jos. 1. 5. 11. 12. cap. Psal. 78, 55. nec magno cum labore hoc effecit, dictum factum reddidit, ad solum aspectum disjecit gentes, quæ terram Cananæam incolebant, & valdè firmiter in ea regione erant radicati,*

Montes æterni. vidit *saltem, torvumq; ejus ostendit vultum, statim profligavit, eas disturbavit, è loco ejecit &* dissipati sunt *subitò, quorum* montes erant æterni, *satis muniti & durabiles*, incurvati sunt *illi, Deo dicente, quorum* colles *erant* perpetui, *& quorum regnum ita erat stabilitum, ut non facilè id pessundare vel evertere quis posset Num. 13, 21. 31. 32. sed agnoscimus hic Dei vocem, manus, pedes, decretum & potentiam, quam exeruit, ut Moses precatus jam antea fuerat Exod. 15, 14. 15. 16. & eventus probavit, sicut fatetur Rahab. Jos. 2, 9. 10. 11. incurvati siquidem sunt ab eo*, cujus *sunt* ambulationes seculi, *ab eo, penes quem est totius mundi gubernatio, cujusq; sapientia totum hunc orbem moderatur. Et sic potius membrum ultimum hujus versus ad Deum referendum esse quàm ad populos terræ Canaan, indicat numeri Enallage, ut rectè observavit Lutherus noster, Drusius & pauci alij. Pleriq; enim de Cananæis interpretantur.*

Vers. 7.] *Amplificat verò propheta porrò illum terrorem Cananæorum panicum ab adjunctis, videlicet quod tam horribili exemplo in illos statuto vicini Syri, Arabes, Æthiopes, & Midianitæ quoq; sunt territi, qui alias populo Dei terrori fuerant. Nam* locum vanitatis *& perturbationis Roman. 8, 20. & talem, qui non diu erat permansurus*, vidi

Cuschan. *esse tentoria* Cuschan, *regis Syriæ interamnis, quem devicit Othoniel Jud. 3, 8. 9. 10. qui tamen rex, quia nomen habet à* כוּשׁ *filio Chami, ex quo orti sunt Arabes & Æthiopes, quæ*

adhuic

adhuc in linguâ hebræa eo vocantur nomine 2. Reg. 19, 9. Jerem. 13, 23. valdè probabile est, quod ex istis populis fuerit oriundus, & cum ingenti manu in Assyriam irruperit, eamq; occupaverit, quemadmodum tunc temporis fieri crebro solebat. & proinde Lutherus cum multis alijs non adeò malè vertit, tentoria Æthiopum. sed & eodem terrore sunt perculsi Midianitæ. Nam commota sunt, *tremueruntq;* aulæa *seu ex aulæis extẽsis facta tentoria* terræ Midianis, *quum Gideon mirabiliter ope Dei adjutus eam in castris degentem percutiebat Jud. 7, 7. &c.*

Vers. 8.] *Sed ne dicerent impij, quod Deus multa talia miracula fecisset in rebus creatis, non quod suum vellet juvare populum, sed quod in illas creaturas fuerit iratus, atq; ita fieri potuisse, ut Jordanis & maris rubri aquæ sint diffissæ, quas siccis pedibus Israelitæ casu transierint, (vide Scalig. Exerc. 52.) præoccupat propheta elegantissimâ Interrogatione Rhetoricâ, quâ partim impios illa facinora egregia negantes, vel elevantes miracula refutat, partim pios in fide stabilit & confirmat. Quis enim est, qui possit probare, quod Deus in mare ipsum & flumen Jordanis fuerit iratus? dic tu verum, ô veritas?* an contra flumina accensa fuit *ira tua,* ô Jehova? *an* contra ipsa flumina ipsa ira tua *fuit directa, an* contra mare *rubrum* furor tuus, *cum id exsiccaretur? quum anteires velut strenuus Imperator & Dominus Zebaoth tuum exercitum, tuumq; populum comitaberis* (ἀπολεθῶν 1. Corinth. 10, *quasi* ὁμοῦ κελεθῶν) *potentissimè, tum, inquam* quum insidebas equis tuis, *qui sunt nubes,* & curribus tuis salutaribus, *quibus salutem tuo præbebas populo, quibus verbis sine dubio alludit ad historiam Exod. 13, 21. & 14, 14. descriptam, quæ cum his est conferenda.*

Deus non est iratus fluminibus.

Ακελεσίῳ.

Vers. 9.] *Verùm licet hoc eant negatum omnes improbi, tamen ita se res revera habet, ô Deus: nam satis manifestum in illis miraculis fuit, te fovere tuam Ecclesiam & auxilium ipsi præstare, quippe in cujus usum etiam ex ipsis saxis scissis aquam produxisti Num. 20, 10. & 21, 16. 1. Cor. 10, 4. quomodo in sequentibus verbis est quædam subjectio ad Interrogationem præcedentem.* Nam revera nudus factus est *maris rubri & Jordanis* alveus arcu tuo, *tuo robore ac viribus, ô Imperator maxime, & horum beneficiorum omnium fundamentum est tua promissio gratuita, nempe fecisti illa* ob juramenta tribubus data, sermone *illo, quem cum Abrahamo Gen. 15, 14 15. & 17, 8. aliisq; patriarchis habuisti. Sic enim hoc loco juramenta tribuum accipimus passivè, pro juramentis, quæ ipsis facta sunt à Deo,* quemadmodum *aliàs fœdus Abrahami dicitur fœdus cũ ipso ictum & sancitum, benignitates q; Davidis appellantur beneficia ipsi præstita.* Sela, *de qua voce supra v 3. Propter illas autem promissiones tuas juramento confirmatas cùm alijs ornasti hunc populum beneficijs, tùm etiam quum laboraret aquarum penuria,* flumina diffidisti terræ *vel fidisti terram in flumina, Psal. 78, 15. 16. ut sit hypallage, quæ sacris literis & linguæ sanctæ non infrequens est.*

Juramenta tribuum.

Montes tremunt.

Vers. 10.) Te videntes contremuerunt montes, *quando magnus terræ motus erat in promulgatione Decalogi. Exod. 19, 17. Psal. 114, 4. 6.* te *aspiciens* inundatio aquarum transijt, *inundantes & æstuantes aquæ Jordanis ac maris rubri defluxerunt, ut apparet arida Exod. 24, 21. Psal. 114, 3, & 77, 16. 17.* & abyssus edens vocem suam, in altum latera sua extulit, *latera diffissarum aquarum, per quas populus transijt.*

Aquæ fugiunt.

Vers. 11.) *His verò miraculis aliud adhuc superest longè mira-*

mirabilius in cœlo à Deo effectum, quando ex instinctu Dei Gideon Solis & Lunæ cursum inhibebat Jos. 10,12. nam tum Sol & Luna *non sunt progressa, sed utrumq; sidus immotum contra suam naturam* in sua habitatione constitit, & pergente Sole lucere *præter naturæ ordinem* ad istam lucem *Solis sup. v. 4.* sagittæ tuæ *seu fulgetra (quæ profani poetæ, διὸς βέλη nominant) Psal. 18,14. & 144,8.* itarunt *& emicuerunt*, & ad splendorem *præternaturalem ibat* coruscans hasta tua, *h. e. lapides grandinis Jos. 10,11. qui hic coruscantis hastæ nomine veniunt, quia occidunt, ut hasta acuta, & cum fragore fulgetris & tonitru erant remisti, sicut & Exod. 9. 23.*

Sol & Luna consistit.

Hasta Dei.

Vers. 12.) Quid multis? nulla est regio aut gens, quam tu Deus in ira tua non proteras aut conculces, ideoq; meritò ad te pressa confugit Ecclesia, qui olim cum indignatione progrediebaris in terram Canaan, ut triturares *& absumeres Amos 1, 3. Mich. 4, 13.* gentes.

Vers. 13.) Et quum adhuc ex populi negligentia multæ ex ijs, & finitimis remanebant, quæ postea tuum populum affligebant, tandem processisti tu ad salutem populi tui, *ut eum ab illis quoq; liberares*, ad salutem *inquam* processisti cum uncto tuo *Davide 1. Sam. 16, 12. 13. 2. Sam. 5, 3. 16 & 19, 22. & 22, 51. Psal. 20, 7. qui uncti illius Domini & veri Messiæ, Christiq; venturi typus erat, sicut & Josua, hic populum Israel introducendo in terram promissam, ille hostes superstites delendo, ut 2 Samuel 5, 8. 10. capp. videre est. Falsum igitur est illud fundamentum, quod in hoc capite de Christo agatur, quia uncti seu* מְשִׁיחַ *hic fit mentio, quia illud nomen de multis alijs in V. T. usurpatur. Per hunc unctum igitur Davidem regem* fregisti caput è domo improbi usq; ad collum, *unumquemq; principem inimicorum*

David Unctus Dei.

eorum populo tuo adversantium ita sustuliſti funditus, ut quum caput à collo à cervice præciditur, reges & duces Philiſtæorum, Moabitarum, Ammonitarum, Syrorum, Edomitarum, per eum ita domuiſti, ut caput & cervicem seu collum erigere amplius non possent, nudando ita fundamentum, *& terram tuam ab hoſtibus liberando, qui eam ita tegebant, quasi perpetuò in eâ fuiſſent radicati vide sup. v. 6. Et hoc quisquis audis ac legis, benè expendito, id est,* Sela. *supr. v. 3. & 9. Hæc explicatio longè simplicior est, quàm illa, quâ exponitur hic versus de Pharaonis & primogenitorum in Ægypto interitu (quæ tamen sententia etiam nostræ non est contraria, sed subordinata) & firmant illam sequentia hoc modo:*

Perforare caput pagorum.

Vers. 14.) Tu Deus perforaſti virgis illius *uncti tui regis* caput pagorum ejus, *ita eos, qui in plagis & regionibus finitimis erant reliqui, & tuum infestabant populum per Davidē evertiſti, ut si montes & munitiones, quibus confidebant, terebra pertudisses, idq; nullo negocio, quia virgæ uncti tui fuerant ad perforandum satis, & tum, quum* excitarent procellam ad dispergendum me *populum tuum quum* exultatio illorum *esset,* ac si comesturi *planeq; absumpturi fuiſſent me* pauperem *Israelem, sæpè latentem metu illorum, tempore Judicum* in abscondito.

Vers. 15.) Sed tu, ô Deus liberaſti me, qui olim majores nostros per medias aquas deduxiſti sup. v. 8. 9. 10. tu iter feciſti ad mare equis tuis, *qui nubibus quasi vectus videris, cum sis in cœlo, Esa. 19, 1. sup. v. 8. & contendiſti* ad acervum aquarum multarum.

Vers. 16.) Hæc stupenda olim patraſti opera, quæ cum ego piâ mente recolo, omninò futurum spero, ut promiſſi tui memor nos quoq; ex Babylonicâ captivitate clementer ac mirabi-

mirabiliter reducas, quam cum ego, & omnis pius mecum audimus, maximo pavore concutimur, & tali, qualis in supra modum expaventes factis solet apparere. Audivi Domine *sup. c. 1, v. 6. futurum esse, ut captivus abducatur per Chaldæos tuus populus, audivi & expavi, meq; perculso propter superiorum visionum gravitatem,* commotus est venter meus, *id est hoc loco, cor meũ ut Prov. 20, 27.* ad vocem istam palpitant labia mea, *metumq; istum consequitur oris pallor, & labiorum tremor,* invadit putredo, *velut teredo, cossus, termes, ligna & ossa corrodẽs,* ossa mea, deniq; commoveor in loco meo, *ego qui requiescere solebam* post diem adversitatis, *quiq; temporibus adversis quietus esse solebam, ad famam hujus calamitatis penitus consternor, quia* ascendit *contra populũ Judaicũ hostis Chaldæus* turmatim populaturus eum, *quod verbũ vide Mich. 2, 14. & 2. Reg. 24, 2. & historiam ipsam, de quâ hoc loco sermo est 2. Reg. 25.*

Timor magnus, ejusq; signa.

LOCI COMMUNES.

Ex versu 3.]

I. Deus à meridie venit.] *Antiqua Dei facta stupenda & miracula sæpè sunt repetenda, ut discamus timere ejus iram, & sperare misericordiam Psal. 44, 1. & 75, 2. & 76, 2. & 78, 3. 4.*

Miranda sunt notanda.

II. Laus ejus implevit terram.] *Dei gloria est cantanda 1. Chron. 16, 24. Psal. 96, 3. 4. 7. 8. & 57, 10. & 108, 4. 5. Esa. 40, 5.*

Laus Dei enarranda.

Ex versu 4.]

Splendor tanquam lucis affuit.] *Dei oculi sunt sole longè lucidiores, & inspiciunt omnes vias hominum Sirac. 23. Prov. 15, 3. reverearmur itaq; illos, quoniam omnia sunt ipsis nuda ac patentia Hebr. 4, 12. 13.*

Dei oculi.

Ex versu 5.]

I. Anteivit eum pestis.] *Deus fortis zelotes varias habet plagas, quas velut exercitum contra improbos emittit, & quibus violatores legis punit, quarum catalogus quidam Levit. 26. Deut. 28.*

Dei carnifices.

II. Pestis & carbunculus.] *Deus quidem mortem ex se ac simpliciter*

Mors.

pliciter non fecit Sap.1,13 & 2,23. sed ut est pœna peccati Rom.5, 12 & 6,23. & 8, 10. & malum pœnæ est ab eo, justo judicio permittente, imò immittente. Ex versu 6.]

I. Mensus est terrā.] *Deus regna mutat, & dat, cui vult Dan.2,21.*

Ecclesiam Deus defendit.

I I. Disturbavit gentes.] *Deus rex suæ Ecclesiæ facile eam contra omnes tyrannos potest defendere, ut nihil contra illam possint quicquam, nisi Deus gravissimis de causis illam aliquantulum eorum exponere velit libidini Psal. 46.*

Ex versu 7.]

Frustra nisi Dominus.

Locum vanitatis vidi tentoria Cuschan.] *Populi illi in vanū laborant & defatigantur, quibus Deus sua gratia non adest. Sup, 2, 13,*

Ex versu 8.

I. An contra flumina ira tua ?] *Creaturæ, præter homines & diabolos, in Deum non peccant, verumtamen illæ sæpius propter hominem earundem dominum affliguntur, ut animalia in diluvio Gen.6, 7. & 7, 21. 22. & adhuc vanitati sunt subjectæ Rom.8,20.*

Dei equi.

I I. Quum insideres equis tuis.] *Deo nunquam sui desunt equi, hoc est, creaturæ, quarum ministerio utatur, quippe cui serviunt omnia Psal 103, 20 21. 22. & 148,2.5.6.7.8.9.10. Dan.3, 57. &c. Metuas igitur hujus Imperatoris exercitum Matt. 22, 7. equos ac equites horribiles Apoc. 6, 2. 4. &c.*

Ex versu 9.

Miracula in aquis facta.

I. Nudus alveus factus est arcu tuo.] *Deus, qui aquam creavit ex nihilo Gen.1,1.2. eandem non tantùm ordine naturæ conservat, sed etjam super naturæ ordinem exsiccat Exod.14,21. Jos.3, 16. ex terra, ex rupe, ex osse evocat Exod.17, 6. Jud.15, 19. mutat in sanguinem Exod.7, 20. in vinum Johan. 2. 9.*

I I. Juramentis tribuum sermone.) *Quod Deus dicit, imò juramento confirmat, hoc præstat, quia mentiri nequit Heb.6,17.18. & 10,23.*

Ex versu 10.]

Dei dextra.

Te videntes montes contremuerunt, inundatio aquæ transijt.)

Invictam Domini dextram vis nulla repellet,
Omnia cogentur cedere prona Deo.

Psal.89,14. Es.48,12 13. coram illo tremunt montes, & mare fugit Psal. 114,3.4. Ex versu 11.

I. Sol

I. Sol & Luna ſtetit in habitatione ſua.) Solis ſtatio.

Jova poteſt ſolis currus inhibere volantes,
ut intelligamus eum eſſe ſolis Dominum Eſ.38,7.8.17.20. Sir.43,5.

II. Ad lucem ſagittæ tuæ itarunt.) *Sicuc arcus Dei deſignat e-* Dei arcus
jus robur ſup. v. 9. ſic per ſagittas denotantur omnia contra improbos pa-
rata arma lethalia Pſ.7,13.14. inprimis fulgura Pſ.144,6.

Ex verſu 12.

Indignatione progrediebaris in terram Canaan.) *Domini* & facies.
irata facies eſt contra facientes malum ut exſcindat è terra memoriam
eorum Pſal.34,17.

Ex verſu 13.

I. Proceſſiſti ad ſalutem cum uncto tuo.) *Eccleſiâ miſerè ab*
hoſtibus ſuis preſſâ, Deus in ſalutē ejus heroes excitat, qui, quod ei ſalutem
afferant ope Dei adjuti, ſalvatores dicuntur Jud.3,9 2.Reg,13,5. Nehem: Salvatores à
9,27. vide Moſen, Judices, & inter eos Gideonem, Simſonem, porrò Sau- Deo dati.
lem, Davidem, Cyrum, Darium, Maccabæos, quibus ipſe adfuit, ut face-
rent cum eo ſtrenuè Pſal 60,13.14.

II. Fregiſti caput.) *Deus tandem tyrannos & improbos punit*
Pſal.7,13. & 10,16.18.

Ex verſu 14.

I. Perforaſti virgis caput.) *Deus etiam per minima efficit res* Per minima ef-
maximas, & eo juvante, baculo, quo ſtimulantur boves, Jud.3,31. ſcipione fecta ſunt ma-
2.Sam.23,21 maxillâ aſini Jud.15,15. lapillo 1.Sam 17,49. proſtrati ſunt xima.
vel plurimi vel fortiſſimi.

II. Quum procellam excitarent, comeſturi pauperem.) Deus adeſt in
Cum res eſt in acie novaculæ, & periculum ſummum, Deus tandem ſuc- periculo,
currit ſuis Pſ. 69,1.2. Chron.20,12. tempore oportuniſſimo Pſal.9,10. cum
venit hora ejus Joh. 2,4.

Ex verſu 15.

Iter feciſti ad mare.] *Qui Iſraelitas quondam per aquas maris* & ſalvat nos.
rubri traduxit ſalvos, idem hodie ſuos per aquas tribulationis tranſeun-
tes ſalvat Pſal.66,12. & 69,16. & 124, 4.5. & 32,6.

Ex verſu 16.]

Audivi, commotus eſt venter meus.] *Pij ad minas Dei auditas* Pij triſtes non
cohorreſcunt ſup. v.2. ſeminant in lachrymis Pſ.80,6. non tamen prorſus deſperant.

desperant 2. Cor. 4,9. *impij verò contrà minas Dei primùm securi negligunt, pòst verò cum ipsos premit malum, animum prorsus abjiciunt ac pereunt.*

TERTIA PARS.

Vers. 17.] *Veruntamen utut hæc sint, esto, me affligi, iram Domini portabo, quia peccavi ei, donec contendat contentionem meam Mich.* 7, 9. *non tamen spem omnem abjiciam.* Quamvis (כי *vide* Exercit. bibl. edit. secund. p. 68.) *igitur abductis in Babyloniam & hinc inde dispersis Judæis omnibus ad victum necessarijs privemur, quamvis* ficus non efflorescat, nullusq; sit proventus in vitibus, mentiatur *item, spemq; agricolæ fallat* opus olivæ, *Esa.* 58, 11. *Job.* 41,6. *&* nullus agrorum edat cibum *seu fructum proferat Joel* 1, 16. abscendat *etiam hostis & abducat* ab ovili gregem, *&* nullum mihi *restet* armentum in bubilibus.

Sic. quamvis.

In Deo verum gaudium.

Vers. 18.] Ego tamen *nihilominus* in Jehova *Deo meo* exultabo, *qui unus est mihi omnia, non nimis contristabor, sed lætabor etiam in medijs malis*, gestiam in Deo salutis meæ, *in Deo Jesu meo, qui toties mihi salutem peperit, & deinceps, cum ipsi visum est, pariet.*

Vers. 19.] Jehovi Dominus, *Deus ille verus trinus & unus (id quod hæc punctorũ & loquẽdi ratio videtur innuere. vide Amos* 1,8. *est* robur meum, *ipsiusq; potentia in infirmitate meâ perficitur*, ille disponit pedes meos tanquam cervarum, *i. e. velocissimos, Ps.* 18, 34. & facit ut iterum incedam *ut olim* super excelsa mea *in terra sancta, summa cum celeritate & alacritate me reducet, &, quum omni humano destituar auxilio, spes mea in ipso recumbit, ab eo, quicquid ad periculũ evadendum erit necessarium, mihi abundè suppeditatum iri planè confido, canticum hoc lætâ catastrophe & epiphonemate insigni hoc concludo, idq; publicè cantan lum*

tandum propono, videlicet magistro symphoniæ *sacræ publico* in instrumentis musicis pulsatilibus seu fidibus meis, *ut ipse eâ ratione id decantet, quam ego jam præmonstravero. Ubi quæ prolixè de duabus vocibus hebræis* לַמְנַצֵּחַ בִּנְגִינוֹתַי *erant dicenda, quia jam antea sunt declarata in titulis Psalmi 4. & 5. eò Lectorẽ potius remitto, quàm hic actum ago, nec ijsdem denuò chartas compleo, ne cum aliorum damna aliquid lucelli corradam. Cui placet ex Commentar. in Psalmos 10. priores illa petat Pag. 79, 80. cui non arridet illa cognoscere, ad usum horum jam mecum jam pergat, & ad finem hujus commentationis properet.*

LOCI COMMUNES.

Ex versu 17.]

Quamvis ficus non efflorescat] *Deus sæpè hujus mundi bona pijs detrahit, ne illis impliciti æternùm pereant Luc. 8, 14. 1. Timoth. 6, 9. sic igitur utamur mundo, ne eo abutamur 1. Cor. 7. 29. 30. 31. Oremus cum Salomone, paupertatem & divitias ne des mihi, ale me cibo de mensi mei Prov. 30, 8. Mat. 6, 25. & seq.* Bona mundi pijs denegata.

Ex versu 18.]

I. Ego in Jehova exultabo] *Pij in adversis Deo confidunt, in eo gaudent, Esa. 61, 10. Luc. 1, 47. Vide in Psal. 4, 7. 8.* In Christo gaudendum.

II. Gestiam in Deo salutis meæ] *Mundi Salvator unicus est Christus Jesus, vide Exegesin dicta apostolici 1. Tim. 1, 15. 16. qui solus solidum affert gaudium Luc. 2, 10. Rom. 5, 1. 2. & 8, 35. 37. Philip. 4, 4.*

Ex versu 19.]

I. Jehovi Dominus robur meus] *Deus est suis robur Psal. 18. 2. 3. eosq; validè confortat Phil. 4, 13.* qui est robur, & liberator.

II. Disponit pedes meos tanquam cervarum] *Christus revera liberat nos, qui vincti eramus vinculis mortis æternæ Johan. 8, 36. Ephes. 4, 8. Col. 2, 13. 14. 15. Psal. 18, 5. 6. 7. 19. 20.*

III. Magistro Symphoniæ in fidibus] *Huic igitur canamus, quamdiu fuerimus, hujus laus semper sit in ore nostro Psal. 34, 1. & 13. ult. dicendo: Benedictus sit Jehova Deus, Deus Israelis, benedicam nomini ejus glorioso in seculum, impleaturq; gloria eius tota terra. Amen & iterum Amen Psal. 72, 18 19.* Deo agendæ gratiæ.

INDEX.

Jobi c. 24. vers. 8.

מִזֶּרֶם הָרִים יִרְטָבוּ וּמִבְּלִי מַחְסֶה חִבְּקוּ־צוּר

eique confidendum, Cum mundum monteſque mali, pontuſq; dolorum
Obruit, in ſummâ ſit tua *rupe ſalus.*
Hâc nitare, manu hanc fac *amplexere* fideli,
Tranſibunt omni cuncta mala abſque malo.

Confer quæ dicta ſunt ſuprà c. 1, v. 12. de rupe hac, & Geneſ. 32, 24. 26. Luc. 2, 28. unde illud amplecti rectè interpretari poteris.

I. INDEX.

Autôrum, qui in hoc Commentario citantur.

Ambroſius. 8
Auguſtinus. 3. 60. 64. 68
Baſilius M. 29
Bellarminus. 20. 55. 8
Buchananus. 27
Buxtorfius. 20. 44
Calvinus. 43
Chemnitius. 30
Chryſoſtomus. 28
Cteſias. 50
Druſius. 40. 46. 71. 75
Euſebius. 3
Gualtherus. 40
Heſiodus. 9. 60
Hieronymus. 5. 6. 26. 42. 59. 70. 72
Homerus. 21. 33. 58
Horatius. 59
Johanes Iſaac. 20
Junius. 14. 15 39. 43. 47. 71
Juvenalis. 58
Kinchi. 36
Lutherus. 2. 8. 10. 15. 16. 17 19. 21. 23. 36. 37. 38. 39. 41. 44. 45. 46. 52. 66. 67. 73. 74.
Melanchton. 80
Oppianus. 17
Ovidius. 9
Plinius. 16. 28
Ribera. 40. 41. 64. 68. 70. 72. 81
Scaliger. 74
Seder Olam. 4
Seneca. 28. 61
Septuaginta Interpretes. 68
Virgilius. 17

II. IN-

II. INDEX.

Vocum Hebræarum, quarum Etymologiæ, Emphases, propriæ significationes & differentiæ hîc declarantur.

11	פּוּג	12	כִּי *pro* אִם	3	אָבַק
17	קָדִים	81	*i.e. quamvis* כִּי	53	אֱלִילִים
72	רֶשֶׁף	11	לָנֶצַח	44	אִישׁ הַיַּיִן
16	שְׂאֵת	21	*negativè* מ	19	אָשֵׁם
	שִׁגְיֹאוֹת	81	מְנַצֵּחַ	42	*multa notat* ב
60	שִׁגְיוֹנוֹת	47	מְשִׁסּוֹת	44	בָּגַד
35	מָצוֹר	81	נְגִינָה	47	בֶּצַע
7	מַשָּׂא	81	נְחִילוֹת	17	גִּמֵּא
76	מָשִׁיחַ	82	נִצַּח	72	דֶּבֶר
36	מִשְׁמֶרֶת	8	נָשָׂא	51	הֵעָרֵל
66	שָׁגָה	70	סֶלָה	36	הֵשִׁיב
67	שֶׁמַע	50	חֵמֶת	2	חָבַק
71	תְּהִלָּה	16	יָצָא	38	חִכָּה
69	תֵּימָן	73	כּוּשׁ	19	חָלַף
65	תִּפְלָה	40	עוֹפֶל	9	חָסָס

Et Græcarum.

Ακοή.	67	Κρόθω	81
Ακολουθέω	74	Λῆμμα	7
Αμφίβληστρον	23	Μετεωρίζομαι	42
Ιμάντωσις	42	Χειροδίκης	9
Καυσος	72		

III. INDEX.

Rerum & Verborum memorabilium.

Abundare

INDEX.

Abundare i. e. se diffundere 17
Actorum c. 1. v. 41. conciliatur cum Habac. 1 v. 5. 13. 14
Ædificiorum luxus 48. 59
Ambulationes seculi 73
Analysis Cap. I. 6. 7
Cap. II. 34. 35.
Cap. III. 63 64
Aquæ fugiunt. 75
Aquilæ natura 17
Arena maris 18
Argumentum Cap. I. 6
Cap. II. 33
Cap. III. 62
Arrogantia diabolica 58
Avaritia 17
Babylonij improbi 43
Bacchi effigies 61
Belli mala 29
Benoni pro paulò post futuro 15
Bibere i. e. malis affligi 51
Bona hujus mundi pijs negata 82
Bonis malè 25
causæ, cur Deus permittat 26
Bonis facilè abutimur 30
Canonicus cursu hic liber 3
Cantici Habacuc occasio 65
summa & argumenta 67
Christus est Salvator 82. inter duo animalia 68
Christi adventus Habac. 3. non describitur 64
12. 19
ebrietatis & superbiæ 58
Opum & luti 59
Crudeles crudeliter tractantur 28
sibi malè consulunt 48
David unctus Dei 76. 77
Dei apparitores 72
æternitas 31
veritas 56
oculi 78
equi 79
dextra, arcus, facies, 79. 80
Deo soli gloria 32
est canendum 82
Desertum Paran 70
Deus exercet judicia 12
defendit Ecclesiam 79
peccata non vult 21
adest in periculo 80
dixit & facta sunt 28. 59
habitat in luce 71
venit ad auxilium 39
est rupes 21. 82
est in templo suo 54
à Deo est pœna non culpa 15
sine Deo omnia vana 60
Dij Assyriorum vani 52
Divisio capitum popularis 64
Doctores orent pro auditoribus 33
Dominus Zebaoth 49
Ebrietatis incommoda 57. 58
mala pœna 61
Ecclesia opus Dei 69
Ellipsis 44
Enallage numerorum 15
Eurus fortis 18
Exempla aliorum nos moneant 27
Fidei ἐνέργεια duplex 56. 57

Fides

INDEX.

Fides salvat 57
Fiducia singularis 31
Fluminibus Deus non est iratus 74
Gaudere in malo 23
Gloriari de peccato 32
Gloria Dei elucet in pœna 49. 60
Gradus peccatorum & pœnarum 31, 32
Habacuc quis & unde dictus 2
non attulit Danieli cibum 3
quæ habeat cum alijs communia & quæ peculiaria 4
quando vixerit ibid.
est velut speculator in castris 35
Habitaculum Dei 62
Hasta Dei 76
Hebr. 10, 38. conciliatur cum Habacuc 1. 3. 41
Homines ut pisces maris 22
Hypalloge 75
Idola frustra invocantur 53
Deo vero opponuntur ibid.
Idolorum vanitas 62
Idololatria est tribuere alij, quod est Dei. 30
Idololatræ pereunt 62
Jehovi quid notet 81
Impij 31
ebullant 40
Impiorum inhumanitas 28
superbia 30
perversitas 32
inquietudo 41
Impij obbrutescunt 28
sibi nocent 60
Incredulitas 56
Injuriarum actio ministris verbi intentata 10
In prophetis i. e. uno ex ijs 14
Interrogatio rhetorica 46
Juramenta tribuum 74
Jus non administratur 11
Justorum officium 54
Leges Reipublicæ anima 27
Lex docenda est 7
Libani violentia 51
Libanus varia notat 52
Litis amor damnatur 26
Lites in foro 15
Loquitur Deus in propheta 36
Lupi vespertini 17
Luxi. e Sol 7
Luxuriæ pœna 61
Magistratus 32
ejus rapacitas 59
Mala prædicantur ut caveantur 69
in Malis ad Deum est respiciendum 37
Malus unus punit alterum 30
Mali quum moriuntur, lætantur boni 58
Mare cognitionis Dei 49
Medi dejiciunt Assyrios 46
Ministrorum verbi lenitas 8
Ministri verbi probi & mali 37
Miracula sunt notanda 78
in aquis facta 79
Montes æterni 73
tremunt 75
Mors, vita 67
Mortem Deus non fecit 79
Nebucadnetzar piscator 24
confertur inferno 28
fiet

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746454848/phys_0091
DFG

INDEX.

fiet fabula ibid.
ejus arrogantia & idololatria 24
Nihil contra Dominum 30
Nuditas quid in scriptura 50
Occasio prophetiæ hujus 5
Opes conferuntur luto 46. 59
Oratio Habacuc perturbati 8
fidei plena 19
Oratio pij nititur Dei misericordia 69
Pardi 16
Palatium nidus est 48. 59
Partes hujus prophetiæ 6
Paulus cur omittat vocem Sua 42
Perforare caput pagorum 77
Perseverantia 56
Pij immortales 31
Pœna culpæ comes 27
Preces piorum 33. 69
Precibus instandum 25
Precum efficacia 54. 55
Prolegomena 2
Pulvere urbs capta 18
Quibus prophetaverit Habacuc 5
quo fine ibid.
Recordari de Deo dictum 68
Regnorum mutatio à Deo 28
Regnum confertur corpori humano 11
Reipublicæ status corruptus 9
Reptile 22
Reverentia Deo debita 62
Sagittæ Dei 76
Salvatores à Deo dati 80
Scriptura est divina 55
perspicua ibid.
Scriptura tantum proponenda à ministris verbi 7. 8
Scriptio dilucida 37
Silere à conspectu Dei 54
Similitudo triplex 16
Solis statio 76
Summa libri 3
Superbia est vitanda 57
confertur ebrietati 58
Talionis pœna 59. 61
Timor magnus ejusq; signa 77
Titulus Synecdochicus 4
Typographia 55
Verbum dicitur egredi 16
Verbum Dei docendum 37
Visio non statim impletur 38
Vivere i. e. beatum esse. 42

יְהוָה יִרְאֶה׃

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746454848/phys_0094
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746454848/phys_0096
DFG

tigat, neq; in seculum iram asservat,
eretur filiorum, ita ipse timentium
autem hoc per interrogationem rhe-
bonsionem negativam innuit. Confer
re in perpetuum, לָנֶצַח, oblivisce-
oc est contra tuam naturam, contra
q; ne quidem velle hoc potes, sed neque
servabis: quare (illa enim particula
s posita hic ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetenda est.
) derelinqueres nos per longitudi-
l. 23,6, quamdiu longa erunt tempora?
& consolare nos citò pro tua paterna
er spem & metum (quod ad corporales
e commendat, eiq; adhaeret Ecclesia, do-
videris nos abjecisse, tamen, quia pater
les omninò.

m recurrit, qui suprà sæpius תַּעַזְבֵנוּ
iquis vocabulis actum non agam. Lu-
lucida. Warumb wiltu vnser so gar
lenge so gar verlassen.

is νῖκος, non placet.

uidem suos miseriâ afficit, sed non pla-
n cùm ipsi visum, reficit, derelinquit
, sed recolligit æterno amore Esa. 54,

Quicquid autem hoc est, quod jam peti-
tentiæ, imò omnipotentiæ opus, quam
is luculenter in hoc suo populo vindi-